

1. Schultz (: Georg: Petr.) de Cancellariis Regni Poloniae, Dantisci, 1742.
2. Heidenstein (: Reinold) de Dignitate et Officio Cancellarii Regni Poloniae, Dantisci 1742



COMMENTARIVS DE CANCELLARIIS REGNI POLONIÆ

EDITVS

A

GEORGIO PETRO SCHVLTZ

DOCTORE ET PROFESSORE GYMNASII THORVNENSIS.



DANTISCI. MDCCXLII.

APVD GEORGIVM MARCVM KNOCHIVM.



ILLUSTRISSIMO, REVERENDISSIMO
EXCELLENTISSIMOQUE
DOMINO

DOMINO ANDREÆ
STANISLAO KOSTKÆ
COMITI IN ZALUSKIE
ZALUSKI,

SUPREMO POL. REGNI CANCELLARIO,
EPISCOPO CULMENSI ET POMESAN.
ABBATI CZERVENSI,

DOMINO MEO LONGE GRATIOSISSIMO.

ZALUSKIANÆ Gentis ſive in Eccleſiam, ſive rem Patriæ publicam juxta ac litterariam Merita vel tralatitio ſaltem mentis oculo perluſtranti mihi, PRÆSUL REVERENDISSIME, tot tantaque ſe exhibuerunt, mirum ut haud adeò videatur, ſi orbis ea ſtupet, ſuſpicit Majeſtas, admiratur Patria.

Ac illius quidem Proſapiæ Tuæ gloriam ſive toga ſive ſago partam vel levi adumbrare penicillo, mea vetat tenuitas, relictura eam præclaris ingeniis expediendam, quæ jam nunc grande Epos moliuntur; quin auguror potius, DEUM juſtis aliquando illius laudibus ex merito deprædicandis redivivum quendam excitaturum fore Plinium.

Iſtud tamen citra ullam ſive adulationis ſeu livoris notam adſerere jus fasque mihi fuerit, tantum TE, EXCELLENTISSIME DOMINE, Majores inter Tuos pariter, ac Illuſtriſſimi Nominis Tui etiamnum ſuperſtites eminere,

Quan-

Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi, quantumque
Stellas micat inter Luna minores.

Sive enim *integræ vitæ ſcelerisque puræ* ſanctitatem, ſive geminatæ Dignitatis, ſacræ juxta ac politicæ ſplendorem, ſeu denique ſummæ Eruditionis, quâ ſolus ferè in Regni ſolo emines, famam accuratiori paullò mentis lance perpendam, omni iſtud jure, quod olim Cæſari, jam TIBI tribuendum reor: EX UTROQVE!

Liceat hic, ILLUSTRISSIME DOMINE, Tuas mihi in Tuis Anteceſſoribus non deprædicare, cui impar operi ſum, ſed venerari Laudes, quorum pleroſque ſacros etiam Antiſtites ſummi Reges voluêre, probè conſcii, inprimis felicem Reipublicæ pendere ſtatum ab adſidua rerum divinarum curatione, nec tutiorem facilè Legum cuſtodiam, Juſtitiæque fore ſecuritatem, quàm in eorum perſonis manibusque, *qui ſacrum* DEI, *ſacrum* REGIS *os, ſacræ Vtriusque manus* audiunt. Vinculum enim optimi civis cum Republica, quo nullum in terris arctius reperiri poteſt, inexplicabili tum demum nodo connectitur, cùm illud non ambitio, non quæſtus, nec cupiditas; ſed concors Pietatis ac Juſtitiæ devincit æqualitas, & Eruditionis Sapientiæque amor adſtringit.

Atque hæc quidem TE, pro Legum pariter ac Juſtitiæ ſecuritate ſumma innocentia, ſanctitate pari, nec minori prudentia excubantem inter illa Muſarum adverſa ſuum veluti ſuſpicit Oraculum, quod immortalis DEI beneficio quaſi cœlitus datum, quantum ſingulis doctrina, ingenio, eloquio prævales, tantum univerſis, qui litteras, qui ſtudia colunt, TE præbes Mæcenatem. In partes jam vocarem illum incentivum planè Tuum rei litterariæ promovendæ non ardorem ſed impetum: illam quibusvis ſapientiæ doctoribus innatam patrocinandi propenſionem, & aperiendæ propediem in communes uſus ingentis Bibliothecæ Tuæ molimina, niſi Tua, PIISSIME PRÆSUL, moderatio, quæ ab omni non oſtentatione modò, ſed & ſpecie oſtentationis alieniſſima eſt, veta-

vetaret eloqui, quod omni tamen die Fama loquitur & tantum non ebuccinat. Temperare tamen mihi haud potui, DOMINE GRATIOSISSIME, quin novissimum adserti illius testem provocem hoc ipsum, quod jam meis sumptibus luci publicæ exponere contigit, *Opus præsens*, *Tuis auspiciis*, *Tuo consilio auxilioque*, celebri Autori benignissimè a Te subministratis procuratum. Neque enim parum intererat ad usum Gentis Sarmaticæ non dicam nosse, qui Majores Tui in eminenti illa Supremi Cancellariatus statione ante TE fuerint; sed Eorum duntaxat relegere vestigia, quorum omnium Virtutes in TE unum velut orbem quendam & compendium videntur cumulatæ.

Huic verò operi aliquem pro more Proxenetam quærenti mihi, ILLUSTRISSIME DOMINE, TU præ omnibus occurristi unus, cui illud jure quodam suo inscribendum censui, tum quòd haud raró Tuorum inibi Gentilium, interque hos Magni cumprimis OLCZOVII ac ANDREÆ CHRYSOSTOMI, Varmiæ olim Præsulis, *felicis* memoriæ Avunculorum Tuorum præclara facta ac divinæ propemodum virtutes occurrant, tum etiam, ut aliquale profundæ meæ erga TE venerationis extaret testimonium.

Atque ut majori opus absolutione adsurgeret, oppido *rarum* HEIDENSTEINII *de Cancellario* libellum denuò recusum adjeci, ratus haud fortassis injucundum fore, si, quæ istic *regulis* exiguntur, illic magnis & illustribus firmari videantur *exemplis*, quippe quæ, Plinio judice, hoc in se boni habent, quod approbant, fieri posse, quæ præcipiuntur.

Utrumque igitur, DOMINE GRATIOSISSIME, ut eâdem serena fronte vultuque humanitatis plenissimo accipere digneris, quô cunctos ad philanthropiæ Tuæ aram procumbentes, excipere assoles, est quod tanta submissæ mentis veneratione oro atque obsecro, quantam summi honor fastigii, & infulata Dignitas, hoc est, Virtutes Tuæ postulant. Ita servet TE DEUS Ecclesiæ columen, Reipublicæ culmen, Patriæ deli-

delicium, Musarum grande decus atque fulcimentum, clementissimeque jubeat, ut fortis & incolumis præesse cunctis valeas ad seram usque senectutem. Quod enixissimè vovet

ILLUSTRISSIME
REVERENDISSIME
EXCELLENTISSIMEQVE DOMINE

Illustrissimi Nominis Tui

Gedani, d.
A. 1741.

Admirator perpetuus
Cliens & Cultor devotissimus
GEORGIUS MARCUS KNOCH
Bibliopola Gedanens.

ARGVMENTA.

§. I. Origo, nomen; soli Ecclesiastici olim, non verò Episcopalis Dignitatis hoc administrarunt officium.
§. II. Postea Seculares sunt admissi.
§. III. Etiam Episcopi.
§. IV. ALEXANDRI Constitutio non semper observata.
§. V. Reservatum SIGISMVNDI circa Constitutiones Antecessorum Regum.
§. VI. Qui se abdicarunt spontè.
§. VII. Qui coacti, ut cederent Cancellariatu.
§. VIII. An semper in Comitiis creandi?
§. IX. Quando Ordinis Senatorii facti.
§. X. Lis cum Mareschalcis Curiæ de prærogativa loci.
§. XI. Solennitates in creando Cancellarios.
§. XII. Series Cancellariorum a Jos. Andr. ZALVSKI emendata. Conf. § XXIV.
§. XIII. Titulus eorum.
§. XIV. Pro-Cancellarii succedunt Supremis.
§. XV. Quando sint appellati Supremi & Pro-Cancellarii?
§. XVI. Prærogativæ Supremi Cancellarii.
§. XVII. Munia, Officia & Jura Cancellariorum; speciatim vivo Rege & regnante.
1) Jus dicunt in Judiciis Assessorialibus.
2) Privilegia &c. dant.
3) Sigilla custodiunt.
4) Legatis & literis exterorum Principum respondent.
5) Cura circa Comitia.
6) Judiciis Comitialibus intersunt, & circa conferendas Dignitates vacantes quid agant.
7) Literas Burggraviales ad majores Prussiæ Civitates expediunt quotannis.

8) Homagia recipiunt a Civitatibus majoribus Prussicis, pro arbitrio Regis.
9) Commissarios constituunt.
10) Senatus Consilia dirigunt.
11) Proficiscentium Regum sunt co[illegible]
12) In expeditione bellica generali [illegible] Regem.
13) Munia in conferendis Feudis.
14) Si Reges creantur Equites ab exteris.
15) In abdicatione Regum spontanea quid agant.
16) Consiliis privatis intersunt Regis.
17) Legatorum munere sunt functi.
18) Cauti sunt circa Reginæ Cancellarium. & Pacta Conventa Regum.
19) Providi sunt circa matrimonium Regis ineundum.
20) Scipiones præferunt Regi absentibus Mareschalcis, &c.
21) Sedes nondum infulati.
22) Exempti ad eorum Judicia pertinent.

§. XVIII. In Interregno quid agant?
§. XIX. Post Electionem quæ munia?
§. XX. Reditus.
§. XXI. Majores Secretarii, Referendarii & Regentes Cancellarii quid?
§. XXII. Merita Cancellariorum quorundam in Rempublicam Literariam per Libros editos.
§. XXIII. Familiæ, Insignia & Series, ab Anno 1362. Conf. §. XII.
§. XXIV. Singularia Historica de Cancellariis.
Documenta & Augmenta.

§. I.

§. I.

Historiam Cancellariorum Regni Poloniæ componere velle a primæva origine, & anxie inquirere in tempus, quo hæc illustri loco posita Dignitas inceperit, supervacaneum esse puto, & a præsenti instituto alienum, existimans, quemvis talia sciendi cupidum acquiescere posse in CROMERI sententia, quam in *Descriptione Poloniæ L. II. p. 186.* legimus, quod antiquitus munus Canonicis aut aliis Prælatis, non verò Episcopis fuerit collatum, & illi Scribæ adpellati olim ex sententia quorundam; quanquam magis mihi placeat RUDGERUS zur Horst / *De Cancellario pag. 6.* scribens: Græci nominarunt Cancellarium Grammatophylacem vel Archigrammateum, qui apud Hebræos est Sopher, id est, princeps Scriba seu Secretarius: quo nomine in Regno Poloniæ indigitatur Secretarius Major, usque dum Rex Alexander Petricoviæ anno 1504. constituerit: Cancellarii & Vice-Cancellarii expectantes erunt primi Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Prælaturarum & aliarum Dignitatum & Beneficiorum proximè aut primo vacaturorum. Et de his sine dubio intelligenda sunt verba Constitutionis Casimiri III. anno 1459. Cancellariatum & Vice-Cancellariatum distribuemus Viris idoneis, sive fuerint de Terris Majoris Poloniæ, sive Cracoviæ alias Minoris Poloniæ. Quodsi generatim Sacerdotes cum CHWALKOWSKI in *Jure Publico Poloniæ L. I. c. 6. p. 143.* fuisse, quis malit affirmare, non intercedam; utrum verò a Ducibus Poloniæ, an primo

Origo Cancellariorum & nomen. Soli olim Ecclesiastici, non tamen Episcopi.

 Rege

Rege Boleslao, ad imitamentum fortè S. R. Imperii, ſint Cancellarii recepti & introducti, difficile eſt dicere. NARAMOWSKI de *Signatoribus Regni, pag. 2.* a Przemislao anno 1295. hoc introductum munus affirmat, & ad Sigillum Regni, quo hic Rex uſus eſſe dicitur, provocat. Conf. DLVGOSSVM *L. VIII. fol. 880.* edit. Lipſ. Sed in ipſo Catalogo incipit jam anno 1153. enarrare Cancellarios, & quis anno 1295. primus fuerit Cancellarius, tacet. NIESIECKI in *Corona Polonica fol. 254.* ſtatuit, quod ſeculo XI. in Regno Poloniæ unicus fuerit Cancellarius, a Rege Boleslao conſtitutus; cum autem Polonia per hæreditatem Principum Poloniæ in diverſas partes diviſa, quælibet provincia proprio Cancellario uſa ſit: quippe jam tempore Caſimiri M. anno 1357. in privilegio ab eodem Epiſcopis Gneſnenſibus conceſſo ſubſcripti leguntur ſequentes Cancellarii: Johannes Cracovienſis; Otto Poloniæ ſeu Majoris Poloniæ; Florianus Lenczycenſis; Hermannus Cujavienſis; idem AVCTOR *fol. 287.* quoque adnotavit Jacobum Cracovienſem, Florianum Lenczycenſem, & Marcum Dobrzynenſem, Cancellarios exſtitiſſe; Cum verò circa annum 1320. hæ provinciæ in unum coaluerint corpus cum Regno, unum quoque Supremum & unum Pro-Cancellarium eſſe creatos, & PABROCKI *fol. 19.* ao 1368. Pro-Cancellarium Joannem Czarnkowo nominaſſe. Ante hos auctores RVDGERVS zur Horſt in *Cancellario* (Gedani edito anno 1628. in 4to) *L. I. c. 2. pag. 15.* idem docuit, monens ſimulatque, poſt ortum Vice-Cancellariorum ob impedimenta & abſentiam Cancellarii, & inventionem Sigilli Minoris, Documenta publica hoc Sigillo Minori munita, tum demum rata fuiſſe, ſi poſtea per Cancellarium Majori Sigillo ſignata fuiſſent; nec non anno 1228. Transactioni pacis Polonorum cum Crucigeris, ſubſcripſiſſe Gothardum Cancellarium & Gregorium Sub-Cancellarium, teſte CROMERO *Lib. VII. Hiſtor. Pol. pag. 134.* Cum autem (addit & pergit hic Auctor doctiſſimus) Cancellariorum auctoritas eò excreviſſet, ut non modo privatis, verùm ipſis fortaſſe Regibus gravis jam eſſet, Lege ab Alexandro Rege latâ, Vice-Cancellarius cum Cancellario coæquatus, parque utrique poteſtas tributa fuit; ab eo tempore pari auctoritate uterque negotia publica adminiſtravere. Verum enim verò, quod pace Rudgeri dixerim, docere debuiſſet, ubi Lex Alexandri Regis exſtet, nec non quo tempore & loco ſit lata; ut ideò in ſuſpenſo relinquam hæc dubia. Cæterum CROMERVS *l. c.* rationem, cur ſoli Sacerdotes hoc munere olim functi, affert hanc, quod barbaris iſtis ſeculis Sacerdotes ſoli literarum cognitionem habuerint, adeoque illis officiis præfecti fuerint, quæ ſine literarum adminiculo obiri nequiverint. Dignus eſt præterea HENRICVS a COCCEJI, illuſtris Jctus & Conſiliarius intimus Regis in Pruſſia, in Vniverſitate Francofurtana optime meritus, ut ejus verba, quæ in *Prudentia Juris Publici S. R. Imperii, pag. 210.* de Archi-Cancellariis Germanicis fecit, legantur & repetantur hæc: Cancellaria, olim Capella, eſt locus publicus deliberandis & expediendis civium negotiis deſtinatus. MALINKROT. *de Archi-Cancell. Lib. I. Part. I. in fin.* Vnde qui iis præſunt, Cancellarii ſeu Capellani, & horum primarii Archi-Capellani vel Archi-Cancellarii dicti ſunt, & hi ſemper Clerici fuerunt. In omni enim deliberatione publica, prima ubique Quæſtio eſt & eſſe debet: Num quid juſte & honeſte fieri poſſit? (Juſtitiæ enim tuendæ causâ unice civitates conſtitutæ ſunt.) Quo negato, ceſſat omnis ulterior de re iſta conſultatio. His itaque Quæſtionibus primariis definiendis præfecti ſunt Sacerdotes, antiquiſſimo Germanorum & Gallorum more; de quo Cæſ. L. VI. de Bell. Gall. Tacit. de Morib. German. c. II. quippe qui ſoli, nondum erectis Academiis, Literatorum ordinem conſtituebant, & Juris divini humanique periti cenſebantur. Vnde & locus ille Capella (ubi Clericorum conventus fiunt, t. t. X. de capella Monach.) poſtea Cancellaria dictus eſt a cancellis, quibus vulgus ab ingreſſu, non ab adſpectu, præcluditur, & hinc promiſcua Capellanorum & Cancellariorum denominatio orta fuit. Lehman L. II. c. 8. Plura collectanea, ſi Lectori placet legere, habet in Hoffmanni Lexico Vniverſali; Speelmanni Latinitate medii ævi; Beſoldi Theſauro Practico; zur Horſt in Cancellario; Malinkrot de Archi-Cancell. &c.

§. II.

Seculares admiſſi ad Cancellariatum.

Non ita diu poſt Alexandri Regis obitum anno 1511. Sigismundus I. Petricoviæ hoc publicavit Statutum: Petitionibus Baronum & Nobilium Regni Noſtri annuentes, perpetuo decrevimus Statuto, ut in futurum in Cancellariatus & Vice-Cancellariatus officiis, cum aliquod eorum vacare contigerit, Nos & Succeſſores Noſtri, ad unum ex illis Spiritualem perſonam, & aliud Secularem præficere debeamus, propter actiones, quæ interdum tales eveniunt, quod Spirituali perſonæ earum executionem committi non convenit. Herburt. f. 52. RUDGERUS zur Horſt loc. cit. p. 19. rationem hujus Legis commoventem ſatis nervoſe eruit ſqq. Primus Vladislai Regis tempore ex Secularibus, quos vocamus, Clemens Moſicorovius ad Cancellariatum provectus fuit; cui, cum aliquot poſtea ejusdem ordinis, non tam Juris aliqua neceſſitate, quam Regum arbitrio & voluntate, in eodem munere ſucceſſiſſent, tandem vel quod Eccleſiaſtici in expeditionem Reges ſequi vererentur, vel quod potentia ipſorum gravis Nobilitati videretur. Sigismundi I. Lege primus Chriſtophorus Szydlovicius, magni nominis Cancellarius, Magiſtratum eum cepit. Poſtea invaluiſſe conſvetudinem, ut alter ſucceſſerit alteri mortuo, vel ad altiores promoto gradus honorum, experientia quidem teſtatur & clementia Regum confirmat; quando verò hic recepti Juris uſus invaluerit, ut neceſſitas incumbere Regibus videatur, dicere non habeo: cum me lateat, utrum contigerit unquam, nec ne, ut Procancellarius non occupaverit locum vacuum Supremi Cancellarii, ſi illi a Legibus conceſſa poteſtas aſpirandi ad hoc culmen & faſtigium honoris.

§. III.

Etiam Epiſcopi.

Exſtat enim Alexandri Regis anno 1504. Petricovienſis conſtitutio: Cancellarius & Vice-Cancellarius poſt pacificam aſſecutionem cujuscunque Gneſnenſis, Cracovienſis, Vladislavienſis, Poſnanienſis, Varmienſis aut Plocenſis Eccleſiarum Epiſcopatum, tenebitur reſignare officium; & pari modo de Secularibus Officialibus iſtud intelligatur, ut & ipſi Palatinatu aut Caſtellanatu aſſecuto, officio cedant.

§. IV.

§. IV.

Alexandri Conſtitutio non ſemper obſervata.

Nihilominus ſæpe eſſe factum, ut hæc Lex a Regibus ſuſpenderetur, exempla demonſtrant recentiora & vetuſtiora. Immortaliter de patria & orbe erudito meritus ANDR. CHRYSOST. ZALVSKI, Epiſcopus Varmienſis, in *Tomo III. Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Epiſt. XLIV. fol. 319.* de ſe ipſo ſcripſit: Venit Varſaviâ declaratio a Juris peritis, quod Jure Eccleſiaſtico hoc tempore deberet conferri Supremi Cancellarii munus; petiit ergo Dominus Referendarius Szembek, & inſtitit apud Regem, ut mihi cederet Sigillum, in quo & Dominus Becklinus, quo volebat omnino amicitiam meam, deſideravit, & veſperi declaratio facta Thorunii, privilegium ſubſcriptum, & manè 27. a Domino Mareſchalco Bielinski, qui tum erat præſens, per utrumque Sigillum in Conſilio Senatus, ob neceſſitatem evidentem (cum Sigillum utrumque vacaret) declaratio publica & traditio facta. IDEM in *Epiſtola LVII. fol. 409.* ad Reginam viduam Joh. Caſimiri: Incipio ab ultimo puncto clementiſſimarum Literarum Majeſtatis Veſtræ, ſub data 13. Januarii, humillimas referens gratias pro materna benedictione ad initium laborum horum, qui per gratiam DEI in tantis infelicis patriæ temporibus non deerunt. Expectatum in illis certe habebunt levamen, ſi ſervire Majeſtati Veſtræ efficaciter, & explere ea promptitudine omnes Majeſtatis Veſtræ nutus poſſem, uti eſt & quanta debet eſſe in me, nunquam in corde extingvibilis gratitudo & obligatio. Quoad primum punctum, quod acceperim contra incompatibilitatem, Sigillum Regni; & quod non in Comitiis; utriusque ſunt exempla ſub feliciſſimo Majeſtatis Veſtræ regimine. Stephanus Widzga, Cardinalis Radzieiowski, Epiſcopi Varmienſes; illi a Comitiis, ego a Magno & Generali Conſilio, quod repræſentabat Comitia, habui diſpenſationem. Scit verò Majeſtas Veſtra, quod non venabar unquam inſignia, ſed merebar. Joanni Wielopolski & Stephano Widzga Gedani, Oginscio Javoroviæ, abſque Comitiis reddita itidem ſunt Sigilla, ac proinde & Ego, ſicuti de hac Dignitate & hoc Gradu minime cogitabam, libentiſſime enim tot laboribus defatigatus jam quieſcerem, ita nunc cogitare debeo,

ut

ut me ſuſtineam; agitur enim de Honore. In *Epiſt. LXVI. fol. 505.* dilucidantur hæc: Extrahit me Majeſtas Sua ex angulo ſatis quieto, ubi DEO ſervire & Æternitati laborare propoſueram, ſcribendo immediatè præteriti & nunc præſentis ævi Acta; excuſabam me tenuitate mea, in memoriam reducebam incompatibilitatem cum Epiſcopatu meo, nec plus valere volebam, quam Leges ſinunt; ſed hæc omnia Bonitas inprimis Regis ſuperavit, & poſtea congregati ſub illud tempus per Statutum Sendomirienſe, Confœderationem Palatinatuum Majoris provinciæ, ſub directione Dombſki Marſchalci Curiæ Regni, & acceſſum M. D. Lith. & tot Palatinatuum Nuntii libenter hanc Regis electionem approbarunt. Invehit ille (Primas) in me non cauſa, ſed morbo; Si enim Eminentia Sua, ſi Steph. Wydzga, Epiſcopus itidem Varmienſis, per diſpenſationem Reipublicæ id munus & officium tenebant, cur & Ego (non jactantia, ſed fiducia eſt) non impar meritis, tenere non debeam? Eundem verò Primatem Radzieiowski poſtea ſalutaſſe noſtrum Załuski Cancellarium, ex quamplurimis patet Epiſtolis ab illo ad hunc ſcriptis. HARTKNOCHIVS *loc. cit. pag. 498.* de priori ita ſcripſit: Hoc ipſum etiam ſucceſſori ejus (Wydzgæ) in Epiſcopatu Varmienſi Radziejovio, in comitiis anno 1688. conceſſum eſt. CHWALKOWSKI *pag. 143.* narravit hæc: In felicibus glorioſe imperantis Johannis III. comitiis coronationis Sigilli Regni cura Reverendiſſimo Domino Stanislao Wydzga, Epiſcopo Varmienſi, permiſſa eſt. Nam Ejusdem raræ ingenii dotes & miræ vires eloquentiæ, quibus ſingulariter de Republica meruit, prævaluerunt, ut Lex pro hac vice diſpenſata ſit, conſtitut. ann. 1676; allegabat tamen Trzebicius, Epiſcopus Cracovienſis, cum pro illo meritiſſimo patriæ cive verba faceret, exemplum, quod Tyllicius ab Epiſcopatu Culmenſi cum Sigillo ad Varmienſem aſcenderit. NARAMOWSKI in *Facie Rerum Sarmaticarum, pag. 458.* idem obſervavit de Petro Tyliczio, referens: Varmiam redux dum præſul aſcendit, Sigillum Majus prope quadriennium Cancellarius tenuit, nondum expleto quadriennio Vladiſlaviam & Cracoviam ſucceſſive aſcendit. RVDGERVS zur Horſt *loc. cit. pag. 727.* collegit hæc: Albertus Jaſtrombeccius & Johannes Choinicius ſub Sigismundo I., Samuel Maciejovius ſub Sigismundo Auguſto, cum Cancellariatu junctim Epiſcopatum Cracovienſem obtinuerunt. Sic alios etiam cum Cancellariatu, Vladislavienſem conſecutos eſſe ſcimus. Eo nomine ſub Rege Vladislao Joannes Saffranicicius; ſub Caſimiro II. Joannes Czruſcinius & Joannes Lutzko de Brzezie; ſub Joanne Alberto Creslaus de Kurozwęki inclaruerunt: & nuper etiam Laurentius Gembicius, prius Epiſcopus Culmenſis, deinde Vladislavienſis & Pomeſanienſis ſimulque Regni Cancellarius audivit. Conf. ZALASZOWSKI *Jus Publ. Polon.* cujus in *Tom. I. fol. 781.* eadem leguntur ab his autoribus, licet non nominatis, mutua accepta, Obſervationes autem cæteræ de Abbatiis & Præpoſituris Regularibus, quibus ordinariò Epiſcopi Cancellarii præeſſe non poſſunt, propter conſtitutiones ann. 1633. fol. 28. ann. 1670. fol. 837; quod nihilominus Cancellariis conceſſæ ſint, merentur hic inſeri ſqq. Illuſtriſſimo Domino Nicolao Prazmowski, Epiſcopo Luceorienſi, Cancellario Regni, conceſſum erat in conſtitut. ann. 1658. fol. 29. ut unà cum dicto Epiſcopatu Abbatiam Sierechovienſem teneret; Illuſtriſſimo quoque Domino Andreæ Olſzowski, Epiſcopo Culmenſi & Procancellario Regni, promiſſa erat ex primis vacantibus, Abbatia vel Præpoſitura, conſtitut. 1667. fol. 15. (unde poſtea Abbatiam Andræovienſem obtinuerat.) Illuſtriſſimo Domino Jacobo Zadzilo, Epiſcopo Culmenſi & Cancellario Regni data eſt facultas, Præpoſituram Miechovienſem cum Epiſcopatu & Sigillo Regni Majore tenere; conſtitut. ann. 1633. fol. 20. Quod & in comitiis pacificationis a. 1736. præſenti Supremo Cancellario, Reverendiſſ. Domino Załuski, eſſe promiſſum, in conſtitutionibus eorundem legitur. De Secularibus, quod alias Dignitates Regni cum cancellariatu conjungere, illis fuerit licitum, HARTKNOCHIVS *loc. cit. L. II. cap. 3. §. 17. pag. 490.* commemoravit ſequentia: Jam tempore Sigismundi III. ut antiquiora tempora prætercam, Joannes Zamoiſcius fuit Cancellarius & Supremus Regni Exercituum Dux; non ita pridem quoque Illuſtriſſ. ac Celſiſſ. Princeps Michael Radzivilius fuit Procancellarius M. D. Lith.

Lith. & simul Exercituum M. D. Lith. Dux campestris. RVDGERVS zur Horst l. c. p. 8. In Regno Poloniæ Jacobus Dembinius, Joannes Zarius Zamoiscius, Stanislaus Zolkiewius, Cancellarii & unà Summi Exercituum Duces. Alia quoque habet exempla idem zur Horst l. c. pag. 723. Ubi, An non inquit, Albertus Jastrombecius sub Rege Vladislao Jagellone; Petrus Tomicius & Joannes Choinius sub Sigismundo I. Samuel Maciejowius sub Sigismundo Augusto; cum cancellariatu junctim Episcopatum Cracoviensem insignem, Regum gratia & singularibus meritis obtinuerunt? Antequam vero illi ad Episcopatum Cracoviensem evecti sunt, etiam minores Episcopatus cum cancellariatu gesserunt; quippe Tomicius prius Przemisliensis, post Posnaniensis; Choinius & Maciejovius Episcopi Plocenses prius audierunt, hisce Episcopatibus resignatis, Cancellarii munus haud resignarunt, sed majori cum dignitate continuarunt. Sic alios cum cancellariatu etiam Episcopatum Vladislaviensem consecutos esse scimus. Eo nomine sub Rege Vladislao Joannes Saffraniecius; sub Casimiro III. Johannes Gruscinius & Johannes Luthko de Brzezie; sub Johanne Alberto Creslaus de Kurzozwiaki inclaruerunt; & nuper etiam Laurentius Gembicius, prius Episcopus Culmensis, deinde Vladislaviensis & Pomesaniensis, simulque Regni Cancellarius audivit. Nec ita pridem Petrus Tilicky cum Procancellariatu Episcopatum Varmiensem adeptus est. Nuper quoque Reverendissimi & Illustrissimi Domini, Andreas Lipsky a Lipe, nunc Episcopus Vladislaviensis: & Stanislaus Lubiensky, nunc Regni Procancellarius, Viri de Republica Meritissimi & Venerabiles, cum Sigillo unà Episcopatu Luceoriensi successive honorati sunt. Superioribus ætatibus Matthiam de Drzewicza sub Sigismundo I; Philippum Padniewium sub Sigismundo Augusto; Albertum Baranovium sub Sigismundo III. Regibus, Episcopatum Przemisliensem cum Sigillo sustinuisse cognoscimus &c. *Pag. 731:* Quid dicam de Johanne Zamoiscio & Stanislao Zolkiewio, Regni Cancellariis, Viris Heroicis, qui una manu Sigillum, altera Bellicam clavam, Prætorianâ quadam potestate, tenuerunt? Hanc officii sui Dignitatem & amplitudinem Zamoiscius eleganter nobis depinxisse videtur, quando ad Caroli Pro-Regis epistolam invectivam rescripsit sequenti modo: Dicis me Scribam esse; non sum Scriba, sed Cancellarius, quod munus non impedit Electores Imperii, qui illud gerunt, quo minus priorem locum, quam alii Electores & Duces teneant. Sum certe Cancellarius in patria mea amplissimoque Regno, eo Jure, ea Dignitate, quæ ubivis vel maxima est; nec vero Cancellarius solum, sed & Generalis Exercituum Præfectus sum, arma gero pro patria, Exercitumque duco supra viginti annos: Nomen meum notum est Orbi Terrarum: Actiones meæ honestissimæ, labores, sumptus, pericula pro Republica suscepta &c. *Pag. 824.* Non solum Præfecturam, sed etiam Palatinatum Cracoviensem Christophorus Schidlowizius singulari Regis Sigismundi gratiâ obtinuit, ut cum Palatinatu Cracoviensi (contra Regni constitutiones) summus etiam Regni esset Cancellarius, tandem retento Sigillo, & Castellanus Cracoviensis salutatus est.

Cromer. L. 18 p. 287.

In Regni Constitut. passim.

Thuanus L. 127.

§. V.

Sed hæc Libertas, ut opinor, Regibus a Sigismundo I. tradita esse videtur, qui Cracoviæ a. 1507. sentiens a fratre Alexandro manus quasi constrictas sibi, hanc fieri curavit constitutionem: In Statuto Alexandri Regis, quod est de Cancellario & Vicecancellario Regni, de Prælaturis & Dignitatibus vacantibus providendo, volumus & decernimus, ut habeatur per Nos & Successores Nostros debita ratio & servitutis eorum, in Nostro tamen & Successorum Nostrorum arbitrio reponimus, pro Meritis & Virtute uniuscujusque liberum sit Nobis, offerente se Nobis opportunitate, prout videbitur Reipublicæ expedire, unumquemque ad statum & conditionem altiorem promovere. Herb. fol. 51. Cum enim Cancellarii a PRZYLVSIO *fol. 200.* appellentur jure meritoque, Oculi, Mens, Lingva & Manus Principis, isque quotidiana familiaritate & consvetudine eorum utatur; quis vertere potest vitio, si eos eligit, quorum Fide, Dexteritate, cæterisque animi dotibus delectatur præ cæteris, & Reipublicæ consultum optime iri judicat: Populi enim Salus suprema Lex est. Dederunt verò Reges hoc Ordinibus Regni, ut cum per con-

Reservatum Sigismundi I. circa Constitutiones.

conſtitutiones & pacta conventa ſint ſolliciti de Libertate tuenda, & quibusvis antevertere occaſionibus eam deprimendi velint, rarò id ex Juribus Majeſtatis agant, quod non omnino placere cognoverunt, quo Majeſtas in vigore, Libertas in flore permaneat.

§. VI.

Qui ſe abdicarunt aliis officiis, ut fierent Cancellarii, vel alia officia prætulerunt Cancellariatui.

Exemplum Regis ſe adcommodandi ad voluntatem Ordinum, imitati ſunt Georgius Oſſolinski, qui teſte PIASECIO *pag. 599.* dimiſſo Palatinatu Sendomirienſi, factus eſt Procancellarius Regni; & Michael Radzivil Palatinatum Vilnenſem cum Procancellariatu M. D. Lith. permutavit. Sic Michael Czartorynski maluit Caſtellanus Vilnenſis, & Joannes Leſzczynski Palatinus Cracovienſis fieri; conf. CHWALKOWSKI & HARTKNOCHIVS. Referendum quoque erit a poſteritate ad Singularia Regni Poloniæ, quod præſens ſupremus Regni Cancellarius, Andreas Stanislaus Koſtka, Comes in Załuſkie Załuſki, Epiſcopus Plocenſis eſſe deſierit, cum a feliciter regnante Auguſto III. a. 1735. diſponi ſe paſſus eſt ad hoc ſubeundum munus Cancellarii Supremi, & accipiendum tenuem Epiſcopatum Luceorienſem, malueritque, inaudito exemplo, ſibi, quam Reipublicæ deeſſe. Non hic præterire poſſum PIASECIVM, qui in *Chron. fol. 5.* ſcripſit de regimine Stephani Regis: Obtinebat tum ſupremum cancellariatum Regni Valentinus Dembinſki, Vir ætate provectâ, penè decrepitus, & illi muneri exercendo vix jam idoneus. Is itaque ſolicitabatur a Zboroviis, ut ſe abdicaret tali magiſtratu, & acciperet dignitatem caſtellaniæ Cracovienſis, quæ primum locum dat in Senatu, & a morte Sebaſtiani Mielecki tum fortè vacabat; ac cum ille nihilominus in illo retinendo perſiſteret, usque injuriis ſenem exagitabant, ut tandem ſuſceperit titulum Caſtellani Cracovienſis. Expugnato itaque Dembinio, ſecuri, quod Rex eorum voluntati obtemperaturus eſſet, ad id officium promovendum deſignabant Johannem Zborowſki, militiæ magis quam tali functioni idoneum. At Rex hoc præſentiens devitandumque putans, ne in faciem ipſis reſiſteret & aperta repulſa eos offenderet, priusquam intercederent pro illo fratre ſuo, præter omnium expectationem illo cancellariatu ex

ex more Vicecancellario Petro Dunin Wolſki (fertur Henricus Rex, audiens Senatus ſententias, cui deferendus eſſet Vicecancellariatus, inſigne ejus ſigillum verſando ſubſiliente manu, repentè acclamaſſe: Monſieur Wolſki! illudque huic a longe per confertam aulicorum turbam ægrè perrumpenti tradidiſſe, præter opinionem omnium) delato, contulit Vicecancellariatum Johanni Zamoyſki, Viro ingenio, conſilio & manu prompto, ac cumprimis civilium politicarumq; literarum ſcientiâ claro.

§. VII.

Cancellariatu cedere quinam coacti.

Licet igitur ex his adpareat, Regem non inſtar mancipii Legibus eſſe adſtrictum; triſtia tamen leguntur fata quorundam, qui cancellariatu inviti cedere coacti ſunt. Laurentius enim Gembicki, exiſtens Epiſcopus Culmenſis, cancellariatum anno 1608. aſſequebatur, & poſtea anno 1610. Epiſcopus Vladislavienſis denominabatur, & nihilominus utramque Dignitatem per tres annos retinebat: tandem cum in comitiis anno 1613. Status & Ordines Regni, præprimis vero Sigismundus Miſkowſki, Mareſchalcus, hoc ægre ferrent, cancellariatu cedere coactus fuit. CHWALKOWSKI *loc. cit. p. 144.* PIASECIVS in *Chron. fol. 283.* hanc ipſam Hiſtoriam retulit ſcribens: Laurentius Gembicki poſt adeptum a triennio Epiſcopatum Vladislavienſem, eousque Lege vetante, retinebat Archicancellariatum Regni; cujus dimiſſionem, cum obſervantiores Legum urgerent, alii ad proxima comitia differendam ſvadebant, ne nimium offenderentur ſuffragatores (anno 1613.) & præſertim Marchio Sigismundus Myſzkowſki, Archimareſchalcus Regni, qui Henrico Firley ex competitoribus potiori, nempe favore Reginæ ſubnixo, maxime averſabatur. Atque iſta contentio majorem comitiorum partem extraxit, & tandem dimiſſum Archicancellariatum Felix Kryſki, Minor Cancellarius obtinuit; in Minori autem cancellariatu Firlejus ſucceſſit. De hoc Firlejo jucundum erit lectu, quod idem PIASECIVS *loc. cit. fol. 299.* prodidit memoriæ: Menſe Octobri ejusdem anni (1616.) obierat Baranowſki ſeptuagenarius, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, poſtquam Regem Czæſtochiâ redeuntem Lovicii hoſpitio exceperat ac

ac liberalius tractarat: eique ſucceſſit Laurentius Gembicki, dato loco in Vladislavienſi Epiſcopatu, Paulo Wolucki; Vicecancellarius vero Henricus Firley, repulſam paſſus in iſtis majoribus, etiam Luceorienſem a Volucio relictum, ut obtineret, dimittere debuit pingviora ſeu prope æqualia, cenſu Luceoriæ, quæ habuerat ſacerdotia, ſola Præpoſitura Plocenſi cum Luceorienſi Epiſcopatu retenta. Samueli Maciejowſki, Cracovienſi Epiſcopo & Cancellario, tempore Sigismundi Auguſti, quid acciderit, STANISL. ORICHOVIVS in *Annal. III. Rer. Polon. fol. 1506. edit. Lipſ. Dlugoſſo adjecto*, liberè expoſuit his: Judiciis auctoritate Senatûs Regi permiſſis, Legati (ſeu Nuntii terreſtres) de integro rem commoverunt nova diſputatione dignam. Egerunt enim de executione Legum, cujus rei nomen cum non minus ambiguum quam captioſum eſſet, alii alium inſtituebant exequendi modum. Aliis enim exequi placebat ſolas Leges ab Johanne Alberto, & ab Alexandro Regibus profectas; alii vero omnes in univerſum exequi oportere cenſebant. Summa contentione Legatorum & Senatus pugnatum eſt, horum qui potior eſſet exequendi modus: hoc enim certe quisque cenſebat, quod in rem ſuam fore videbat. Qui enim principium exequendi a Johannis Alberti & ab Alexandri Legibus ducebant, id inprimis ſpectaſſe dicebantur, ut Samuelem Maciejowſki, Epiſcopum, cancellariatu; Joannem vero Tarnovium, Caſtellanum Sandomirienſem, Præfecturâ dejicerent: quod his duobus ſumma apud Regem gratia, ſummaque auctoritas magnam vulgo invidiam conciliarat. Itaque cum Lex in Polonia ab illis Regibus lata eſſet, ne Cancellarius Regni ex majoribus Epiſcopis ſit, non licere Samueli cancellariatum contra Legem obtinere, Legati cenſebant. Quæ Lex nulla mihi quidem ratione niti videtur. Cum enim Cancellarii graviſſimum ſit in Republica munus, in eo non ſolum Dignitatem, ſed etiam Fortunam ſpectari puto oportere, qua adjutus ad tantum munus ſit ille inſtructior. Nihil enim cancellariatus aliud eſt, quam vigilia Reipublicæ, aut officina quædam ingenii atque doctrinæ, ad quam adminiſtrandam multis opus eſt Cancellario adjumentis, non ſolum ingenii, verum etiam fortunæ; ut quamplurimum

mum idoneos ad tantum munus gratia & largitione habeat obſtrictos. Nam in tenui re, ut fides eſt anguſtior, ita & facultas adminiſtrandi muneris ſit infirmior: & cum tantum in Cancellario ſit poſitum, recte in Germania princeps publici conſilii, Moguntinenſis Archiepiſcopus, Romani Imperii eſt Cancellarius. Idem fit Romæ; idem in Gallia & Anglia, ac in cæteris bene conſtitutis civitatibus. Memoria etiam noſtra in Polonia contra hanc Legem Cancellarii fuerunt multi clariſſimi Viri, ut Petrus Tomicius & Johannes Choinicius, qui in Epiſcopatu Cracovienſi ſumma cum dignitate Regis cancellariatum geſſere. Quod tamen in illis homines non moleſte ferebant. Tum enim Reipublicæ Leges, non Legibus Reſpublica ſerviebat; at nunc fit ſecus, quando in perpetua Regni pace ac diuturnitate otii, turbulentæ quæſtiones ac lingvæ certamina conquiruntur de induſtria; quod in Samuele accidiſſe videmus; in quo cum ſumma eſſent omnia, tamen tantum in otio potuit invidia, ut certi homines, ad aliquem indignum atque infimum hominem ampliſſimum illud munus mallent pervenire, quam pati, illum ſummum Virum, ac rebus omnibus excellentem, illo fungi munere. Quare cum Samuel, & magnam invidiam ex matrimonio Regis, pro quo proximis comitiis ſteterat, haberet, & illum homines tantum præſtare nollent, Lege iſta de Cancellario, inutili & tot exemplis antiquata, cancellariatum ei abrogabant. PIASECIVS *loc. cit. fol. 307. ad Ann. 1618.* lectu digna & huc facientia quoque narravit: Vacabat, inquit, tunc a morte Felicis Kryſki officium Archicancellarii, & poſt defunctum nuper Andream Bobola, Præfectura Cubiculi Regii; ac Henricus Firley ad Epiſcopatum Plocenſem promotus, ex Lege tenebatur dimittere officium Vicecancellarii. In quibus Dignitatibus aucupandis diſtracta partium ſtudia, ſuſpenſum comitiorum exitum ad finem usque tenuerunt, ne quidem contentione abſtinendo privatæ rei, ut ſolet, Lege publica obtenta, quæ Regem obligat, ut in ipſo initio comitiorum diſtribuat officia omnia & beneficia tunc vacantia. Ea enim Lex ut ſervaretur, Nuntii Terrarum tantâ obſtinatione urgebant, quod ne ſententias quidem Senatores dicere permiſerunt, donec

donec comitiis jam mediis veritus Rex (Sigismundus III.) ne eorum tempus reliquum inaniter efflueret, Legi, non pertinaciæ ipsorum satisfecit. Georgius & Christophorus, Duces Zbarascii, tunc Tribunitia inter Nuntios Terrarum potestate prævalentes, istos præcipue motus ciebant, quo repulsam in petitione istarum Dignitatum acceptam vindicarent, vel Regem stringerent, ut eorum opera ad cohibendum hujusmodi Nuntiorum duritatem uteretur. At Rex magis inde offensus, talem contumaciam ut retunderet, Stanislao Zolkiewski Præfecto militiæ, a quo isti inveterato odio diffidebant, Archicancellariatum contulit, præter spem omnium, & ipsiusmet Zolkiewii votum, nil minus quam eum magistratum in ætate septuagenaria & professione militari ambientis. Hoc autem expedito, auditis Senatorum sententiis, Nuntii Firlejum Vicecancellarium, contendentem retinere officium suum ad alia comitia, eo quod nondum plenè adiisset possessionem Episcopatus Plocensis, asperioribus, quam sperarat, acclamationibus ut dimitteret, exagitarunt. Sed hoc Rex dimissum, contra opinionem & expectationem omnium, contulit Andreæ Lipski, homini duro, impotentia animi, importunitate & audacia incredibili, & nemini, cum quo aliquid negotii haberet, non molesto, sed eò præcipue commendato, quod esset versatior in Legibus Magdeburgicis ac Polonicis, quibus constant Aulæ Regiæ Judicia, & quod calleret Lingvam Germanicam, qua viâ aditu ad colloquium Reginæ quæsito, Regi reconciliatus ad Aulam longo postliminio redierat, & mox ope Vicecancellarii Firley, per talem æmulum vexare volentis Hieronymum Cielecki, Referendarium Regni, Cancellarium Reginæ, Virum integerrimum, ab illo cancellariatu prope extruserat; demum verò in petendo isto Vicecancellariatu, ab ejus modestia (se non ambire dicentis) criminatione ducta, quod contemneret, verè supplantavit, ministerio Germanicarum fœminarum Reginæ familiarium: Ipsemet verò (Lipscius) tunc cum Vladislao Principe in Moschovia morabatur, & demum accepto nuntio de collato sibi Vicecancellariatu, advolarat Varsaviam ad finem comitiorum. Tristius est exemplum H. Radziejowski, de quo Kochowski Cl. I. L. III. p. 193.

§. VIII.

§. VIII.

An semper in Comitiis Generalibus creandi?

A Regis solius, post sententias Consiliariorum & Senatorum auditas, libero arbitrio unum ex commendatis, vel plane alium substituendi, in Comitiis Generalibus Regni dependere Electionem Cancellariorum, moris est ordinarii, ex rigore constitutionis Alexandri Regis Petricoviæ anno 1504. (vel ut Herburt asserit, in Radom.) Monuit verò CHWALKOWSKI *loc. cit.* non deesse exempla, quod etiam extra comitia hoc munus collatum fuerit, scribens: De Illustrissimo Principe Michaele Radzivilio, M. D. Lithuan. Procancellario, Olszowski tunc Vicecancellarius Regni, ad Dominum Wottowiczita scripsisse memini: Radzivilium Principem quod attinet, quamvis non in comitiis Generalibus susceperit Vicecancellarii munus, nec in comitiis juramentum præstiterit; excusari tamen potest gemino M. D. Lith. exemplo, quorum auctoritati ac muneri hoc nihil derogavit, neque Respublica novo emergenti contradixit, aut ne inposterum simile quicquam fieret, præcavit. Ita etiam Gedani, addit CHWALKOWSKI, die 28. Octobr. anno 1677. extra comitia Reverendissimus Dominus Wydzga ex Vicecancellario Supremus creabatur, & officium ejus præclaris Illustrissimi Domini Wielopolscii, tunc Dapiferi Regni, virtutibus conferebatur; iste reddito Sigillo minori a Rege majus, hic verò minus accipiebat. HARTKNOCH. *loc. cit. pag. 397.* hæc adnotavit memoratu digna: De Cancellariis refert Piasecius, Regem eos solum creare non posse, nisi id fiat in comitiis de consensu Ordinum; in Chronic. ad ann. 1617. pag. 430. Idem habet auctor vitæ Petri Kmitæ, quæ adjecta est Annalibus Stanislai Orichovii, pag. 226. Similia occurrunt & in Theatro Europæo, Tom. IV. pag. 66. ubi refertur, Polonos Illustrissimum Principem Georgium Ossolinum noluisse Cancellarium salutare, quod, ut dicebant, se ipsum insciis Nuntiis Provincialibus Cancellarium elegerat; sed hæc hodie non adeo observantur, Regibus etiam extra comitia Cancellarios constituentibus. Ut alia exempla modo prætercam, unicum Illustrissimi Domini Martiani Alexandri a Kosielsko Oginski, comitiis in Dąbrowna, exemplum istud docere potest.

C Con-

Contulerat ei Sereniſſimus Rex cancellariatum extra comitia, & jurejurando iſtum præſente Senatu, Reipublicæ adſtrinxerat. Non fuerunt hoc ipſo contenti Nuntii Terreſtres, eò quod non in comitiis hoc munus adeptus erat. Reſponſum ex altera parte: Non poſſe Sereniſſimum Regem ſemper comitia expectare, quoniam præſenti ſemper Cancellariorum opera in Aula opus eſt, præſertim in defectu aliorum Cancellariorum. Cum Nuntii Terreſtres nihil obtinere poſſent, urſerunt tantum, ut denuo, quemadmodum moris, jusjurandum in facie Reipublicæ præſtaret. Etiamſi autem regeretur, jam iſtud præſentibus Senatoribus eſſe factum, nihilominus quibusdam non acquieſcentibus, & ſubinde hanc querelam renovantibus, iterum Illuſtriſſimus Oginſcius coram omnibus Ordinibus jurejurando fidem Reipublicæ adſtrinxit. Vid. Diarium Comitiorum a. 1685. ad diem 21. Aprilis. Sic, ut confirmetur Statutum ann. 1507. apud Herburtum, in quo extra comitia creandi Cancellarios, Regi permiſſa eſt poteſtas.

§. IX.

Quando Ordinis Senatorii facti? Cum igitur Cancellarii ſint perpetui Regis Conſiliarii, & Reipublicæ negotia expediant, Quæſtio eſt ventilata inter Eruditos, quando Ordinis Senatorii ſint facti? PIASECIVS in *Chron. pag. 65.* affirmavit, Officiales majores Regni demum anno 1569. in Senatum eſſe receptos; ſic enim ſcripſit: Olim Officiales Regni non habuerunt locum in Senatu, niſi etiam aliam Dignitatem Senatoriam obtinuiſſent, v. gr. Palatinatum & Caſtellanatum. Sed cum anno 1569. Lithuania uniretur Poloniæ, & Officialibus in Ducatu Lithuaniæ aſſignaretur locus in Senatu, quem antea in Lithuania habuerant, tum ne Officiales Regni minores eſſe viderentur, aſſumpti etiam ſunt in Senatum. Quem ſequitur ZALASZOWSKI in *Jur. Publ. Pol. fol. 716. Tom. I.* docens: Mareſchalcis Supremis Regni & M. D. Lith. aſſident in Senatu Cancellarii, juxta conſtitutionem a. 1635. fol. 18. Olim nullum in Senatu locum habuerunt, ſicut nec Theſaurarii, niſi etiam Dignitatem aliquam Senatoriam, ut Palatinatum vel Caſtellanatum obtinuiſſent; ſed demum cum M. D. Lith. a Rege Auguſto, iſtius

iſtius Ducatus unico hærede, conſentientibus Lithuaniæ Ordinibus, an. 1569. in comitiis Generalibus Lublini adjungeretur Poloniæ Regno, & aſſignaretur talibus Magiſtratibus Lithuanicis locus in Senatu, quem in Lithuania habuerunt, Polonicis quoque ne viderentur ipſis in hoc inferiores, cum auctoritate præcedant, datus fuit locus Senatorius. Separatim autem ſeſſionis ordinem iſti Magiſtratus in Senatu faciunt, nempe in extremo Coronæ conſeſſu, quaſi ad clavum Reipublicæ, & loco aptiore ad excipiendum venientia negotia publica, & quæ tractare muneris eſt ipſorum. Extra Senatum tamen Regi proximiores incedunt, uti conſcii negotiorum, quæ quotidie obvenire poſſunt. Vnde quantumvis inferiores loco inter Senatores cenſeantur, miniſterio tamen frequentiori Regem demerentes, gratia & familiaritate ejus excellunt, & cæteros in obſequium ſuum vel invitos trahunt, cum omnes non niſi iſtorum opera & favore Honorum & Beneficiorum gradus a Rege obtinere poſſint. Verum enim vero HARTKNOCHIVS *loc. cit.* argumentis gravibus hanc infringere laboravit opinionem Piaſecii, provocans ad CROMERVM, qui iſto tempore vivens, nihil de hac nova mutatione poſteritati reliquit, ſed potius eos ad Senatum, poſt Caſtellanos relatos jam fuiſſe antiquitus, aſſeruit fide dignus. Deinde docuit, Piaſecio ex eo enatum eſſe errorem, quod nunquam fortaſſe in ſubſcriptionibus ſeparatim poſt Caſtellanos Officialium majorum nomina repererit; cum tamen evictum ſit, in M. D. Lithuaniæ eorum munia cum aliis fuiſſe conjuncta, & ſi Lithuaniæ Officiales Majores ad Senatum Lithuanicum admiſſi, cur non idem Regni Officialibus honor ſit exhibitus, is probare teneatur, qui negando intercedat vel contradicat. Tertium eſt argumentum, quod etiam CHWALKOWSKI *loc. cit.* ejusdem cum HARTKNOCHIO ſententiæ, urget, anno 1565. in comitiis Petricovienſibus adiiſſe Regem petentes Nuntios terreſtres, ut Dignitates Mareſchalcorum & Theſaurariorum inpoſterum cum aliis non conjungerentur, ea ex ratione, quod hi absque iis locum & ſuffragia in Senatu habeant, duo autem ſuffragia ferre inconveniens ſit. Vid. conſtitut. ejusdem anni init. atque effecerint, ut Rex pro-

promiserit, se inpofterum eorum petitis annuere velle; conf. JANVZOV. *L. III. Conftitut. P. V. Tit.* 2 *pag. 304.* Ex quibus elicitur evinciturque, Cancellariis quoque ante conjunctionem Regni cum Lithuania hoc Jus fuiffe acquifitum ufu, nec demum anno 1569. conceffum.

§. X.

Lis cum Marefchalcis Curiæ de prærogativa loci. Eft præterea bene de Patria merentibus ingenitum & innatum, ut velint hoc fuum ftudium grato agnofci animo a civibus, & honoris quibuscunque teftimoniis declarari publicis in foris & celebritatibus hominum, ne quamvis ipfi ab omni ambitionis & fuperbiæ fufpicione fint remotiffimi, munus & officium vilipendendi cenfeatur a vulgo, aliusque prærogativa quadam gaudens quocunque modo, melior iftis & utilior effe judicetur. Ea ex re & fine dubio eft factum, ut amica quædam interceffèrit Cancellariis cum Marefchalcis Curiæ, lis de Prærogativa eundi atque fedendi; Vladislaus IV. autem anno 1635. in comitiis eam decidit decrevitque cum Ordinibus Regni, ut Marefchalci Curiæ ultimum occupare debeant locum in Senatu. Vid. conftitut. d. a. pag. 18. Pertinet ad Hiftoriam Literariam & Notitiam Librorum, quod HARTKNOCH *pag. 492.* adnotavit, Starovolfcium nempe, in Poloniæ fuæ editione Colonienfi, collocaffe Marefchalcos Curiæ proxime poft Marefchalcos Supremos ante Cancellarios; in editione autem Gedanenfi a. 1650. hunc ordinem effe legitime mutatum.

§. XI.

Solennitates in creandis Cancellariis Quod ad folennitates adtinet, quibus uti moris eft in conferendo tanto munere, fupra in §. VII. enarravimus; quod Rex fententias Senatorum audiat: pro lubitu tamen independenti per Marefchalcum, vel, ut olim, Ipfe nominat, Sigillum Majus tradit, gratias agentem audit, juramentoque publico devincit; Sigillum verò Minus Procancellario per Supremum Cancellarium, obfervatis cæteris ceremoniis confert, fic, ut quas in renunciatione Supremi Cancellarii exerceat folennitates Marefchalcus, in conftituendo Procancellario ufurpet fupremus Cancellarius. Quod & extra comitia confvetudinis

nis effe, docet Hiftoria, fi præfens eft; alias de electione Regis fit certior, & die fubfequenti folenniter confecratur. Non poffum non recreationis causâ hic ex STANISLAI LVBIENSKI, *in Vita Gamrati, Oper. pag. 374.* narrare fequentia: Speraverat Gamratus (genere ignobili natus) cum adhuc effet fingulari gratia Regis Sigismundi I. Epifcopus Præmislienfis, Procancellariatu Regni, paratusque in Senatum ita venerat, ut eo nomine Regi gratias ageret; fed a Marefchalco Regni egregiè delufus eft. Is enim cum tradendus effet cancellariatus, longiore ufus oratione, facie ad Gamratum verfa, cum multa præclara de iftius Magiftratus dignitate dixiffet, & poftremo, veluti Gamratum renuntiaturus, verba illa: *Tibi Domine Epifcope*, fine tamen nomine iftius proprio protuliffet, & aliquantum hæfiffet, Gamratus, quafi id fibi dictum effet, furrexit; fed Rex hujus Ironiæ non ignarus, manu extenfa: *Sedete Domine Epifcope*, inquit, *non Vos eftis*, tum demum Marefchalcus, elufo & in ruborem dato Gamrato, Johannem Choinium Procancellarium Regni renuntiavit. Ex qua Hiftoria adparet, olim Marefchalcum quoque Procancellarium proclamaffe; nifi fortè nullus fupremus Cancellarius ifto tempore fuerit. Ego de noftris temporibus follicitus provoco ad §. IV. hujus Commentarii, ubi relatio Illuftriffimi Zalufkii de fe ipfo. Addo denique Juramentum Cancellariorum: Ego N. Regni Poloniæ Cancellarius (Vicecancellarius) juro, quod Sereniffimo Principi ac Domino, Domino N. Poloniæ Regi, & Majeftatis Ejus Succefforibus, ac Regno Poloniæ, in hoc Officio cancellariatus (Vicecancellariatus) mihi commiffo, fidelis ero. Nullas literas pergamenas fine fcitu & expreffa voluntate Regiæ Majeftatis tradam; papyreas verò nullas tam in Regno, quam extra Regnum, quæ vel Regiæ Dignitati vel Honori derogent, vel ex quibus damnum aliquod ad Majeftatem Ejus vel Regnum pervenire poffit, & quæ Juri communi & Libertatibus adverfentur, aut literis ex cancellaria datis, contrarias effe fcivero; Membranas item nullas unquam tradam, præterquam papyreas, idque fciente tantum aut jubente Regia Majeftate. Confilium fidele Majeftati Suæ & Reipublicæ præftabo, neque ulla unquam fe-

 creta,

creta, quæ mihi communicata fuerint, præter Suæ Majeſtatis voluntatem & mandatum revelabo; & pericula omnia, quæ imminere vel Ejus Majeſtati vel Regno undicunque ſcivero & cognovero, Majeſtati Ejus deferam, & pro poſſe meo avertam. Sic me DEVS adjuvet, & hæc ſancta Evangelia. CHWALKOWSKI in Addendis p. 566. edit. Gedanenſis monet, quod non ad Evangelia, ſed ad Crucem præſtetur Juramentum.

§. XII.

Series Cancellariorum a Joſ. And. Zaluski emendata, cf. §. XXII.

Qui ad præſentem usque annum Supremi & Procancellarii fuerint, NARAMOWSKI in ſingulari libello de *Signatoribus Regni*, & NIESIECKI in *Corona Polonica fol. 254.* retulerunt: ad quos L. B. ablego brevitatis memor, & infra enarraturus. Non poſſum tamen, non hic referre admirabiles Notas & Animadverſiones Illuſtris & Magnifici JOSEPHI ANDR. ZALVSKI, quibus in *Specimine Hiſtoriæ Polonæ Criticæ*, Auguſtinum Koludzki ob fabulas de Glinianenſi confœderatione, vulgo Rokoſz, anno 1381. in vita Ludovici Regis Poloniæ & Hungariæ, ſparſas in vulgus credulum, perſtrinxit *p. 131.* Intromiſſis in comitium his Senatoribus, Granovium Regni Mareſchalcum literas Budâ ad ſe per Epiſcopum Lubranscium transſcriptas produxiſſe, iſtasque palam legendas Cancellario Regni Drzewicio tradidiſſe, pergit dicere Commentator, ſimulque (ut uſitata parœmia ad nominis hujus a ligno deſumpti alludam Etymon) quo intimius progrediatur in penetralia ſylvæ, eò plura accumulat mendaciorum ſtipite craſſiorum ligna. Nam Matthias Drzewiccius Epiſcopus Præmislienſis & ſucceſſivè Vladislavienſis, ac denique Archiepiſcopus Gneſnenſis, nonniſi a. 1499. (117. ab obitu Ludovici annis) poſt aſcenſum Vincentii (non Wenceslai, uti erroneè ex Pabrocio Herburt. 237. habet R. P. Nieſiecki Kov. 262.) Przerembſcii ad Epiſcopatum Plocenſem (ex quo deinde ad Vladislavienſem promotus eſt) eidem in Vicecancellariatu, anno verò 1510. poſt aſcenſum Johannis Laſki ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem, ipſi in ſupremo Regni cancellariatu ſuffectus eſt, (teſte Jodoco Ludovico Decio in Corp. Piſt. II. 324. ac Damalevicio in Gneſn. 285. Id. in Vladisl. 348. in

utroque Opere) & ab ejus obitu in Chriſtophoro Szydlowieccio, Caſtellano Cracovienſi, Lex de Alternata cancellariatus Regni, inter Spiritualem & Secularem Statum lata, effectum ſuum ſortita eſt; cum antea ſolis Spiritualibus (Nicolao Zakbka, priori; nam & alter ejusdem nominis fuit; duobus Koniecpolijis, utroque Johanne & Jacobo Debinſki exceptis) hoc Officium conferri moris eſſet. Hunc Drzewiccium in Epiſcopatu Premislienſi ſucceſſiſſe Vincentio Przerembio (de quo ſupra) ait Cromer. p. 451. ex eoque Bielſki p. 495. ac Nakielſki p. 580. ſed omnes egregiè falluntur; recta enim Przerembius ad Plocenſem Epiſcopatum pervenit, & nunquam Præmislienſis fuit, id quod oppidò liquet ex ſupputatione Annorum, ex teſtimonio Lubinii Ploc. 152. tum & ex ejus Epitaphio, obvio apud Starovolſcium Mon. Sarmat. 410. Damalevicium in Vlad. 728. & Paprocium Herb. 232. qui ultimus annum ejus obitûs 1515. pro 1513. erroneè poſuit. Sed ad Commentatorem redeo. Non Drzewiccius, ut iſte perhibet, iſto tempore (1381.) Cancellarius Regni fuit, ſed Johannes de Radlice, ſtemmatis Korab, Canonicus Cracovienſis, Regius Medicus & deinde Epiſcopus Cracovienſis, propter brevitatem ſtaturæ Epiſcopus parvus dictus, id quod teſtantur Dlugoſſus X, 56. Cromerus 222. Paprocki Herb. 462. Okolſki 418. & Starovolſki in Crac. 115. maximè verò Diploma ipſius Regis Ludovici ſuper Szepne Conventui Miechovienſi inſerviens, de Dato in craſtino S. Martini Anni ejusdem 1387. quod apud Nakielſcium Miech. 318. legitur. Idem pag. 92. pergit notare: Hoc itaque Strzeleccii in Hungariam abeuntis nomen, memoriæ (ut opinor) Commentatoris hæſerat, & dum aliquod Poloni Satrapæ, identidem in Hungariam pro comitiis Budenſibus peregrè euntis, nomen excogitandum fuerat, reminiſcentia, ut fit, ſuggerente illud Strzeleccii fors mentem ſubiit, nec ab eo Commentator abſtinuit, & ut adſcititium nomen a genuino plane alienum, in diverſo individuo effingeret, Cancellarium Regni, ſubitanea metamorphoſi vivæ vocis (ſi Diis placet) Oraculo transformavit. Nec quæ *pag. 74.* habet, negligenda: Ex his patet, Sbiſchkoni Suchywilſkium, uti in Decanatu Cracovienſi, ita & in cancellariatu

riatu Regni, qui tum Cracovienſis Curiæ Regalis vocabatur, immediatè ſucceſſiſſe, adeoque Sbiſchkio a R. P. Nieſiecki in Corona fol. 255. prætermiſſus in Serie Cancellariorum Regni, ibi addi, imo primo omnium loco poni debet.

§. XIII.

Tituli eorum. Præter Caſtellanum Cracovienſem, & Palatinum Vilnenſem, ut & ſupremum Regni Mareſchalcum ex Senatoribus ſecularibus, a Rege Cancellarii in literis ſalutantur Illuſtres, teſte PIASECIO ad *Ann. 1587. pag. 65.* In conſtitutionibus Regni autem, ut plurimum Magnifici (Wielmożni) audiunt. A civitatibus Pruſſicis, ſi Epiſcopi: Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi & Excellentiſſimi; ſi Seculares: Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi, appellantur. Cæterum, ſi Epiſcopus Varmienſis, vel alii Principes S. R. Imp. additur: Celſiſſime Princeps.

§. XIV.

Procancellarii ſuccedunt Supremis Cancellariis. Quod ſi contingat, ut Supremus Cancellarius inopinato ſit mortuus, & Procancellarius Spiritualis Epiſcopatum incompatibilem, ut loquuntur, adeptus, adeoque utrumque Officium vacuum videatur eſſe, tunc Rex pro lubitu & arbitrio libero novos eligere poteſt; alias autem Procancellarius, licet per promotionem Regis in locum ſupremi Cancellarii ſuccedit, nec Rex, vel recens electus, ei alium præferre poteſt; quod quidem longa conſvetudine, ad minimum a temporibus Sigismundi I. receptum eſt. Sciant ſimulatque exteri, fortè hæc lecturi, quod in Regno Poloniæ & M. D. Lithuaniæ, Senatoriæ & aliæ Dignitates majoris momenti, ad dies vitæ non Regum qui contulerunt, ſed Perſonarum quæ acceperunt ex Gratia Regis, durent, adeoque Succeſſores Regis mortui eas auferre non poſſint vivis. In ſciſſione verò Reipublicæ, cum duo electi Reges, & de poſſeſſione Throni dimicatur, ſi quid contrarii eſſe factum legitur, id ordinariis Legibus & Conſvetudinibus derogare non poteſt; multo minus, ſi crimen læſæ Majeſtatis & perduellionis a quodam commiſſum, de quo in Comitiis Generalibus judicatur. Anno 1702. aliud eſt obſervatum, priſtina verò conſvetudo a. 1733. corroborata in Confœderatione Varſavienſi.

§. XV.

§. XV.

Quando appellati ſint Supremi & Procancellarii. Cum porro in Conſtitutionibus Regni, Juramento & Subſcriptionibus, Cancellarii & Vicecancellarii appellentur, hodie verò Supremi & Procancellarii compellatio ab omnibus fere uſurpetur; quo anno & occaſione hæc Prænomina ſint orta, mihi affirmare & decidere non eſt integrum, nec multum intereſſe puto vel referre, ut in talibus morer quæſtiunculis, cum graviora reſtent argumenta explicanda & illuſtranda. Nihilominus jam anno 1680. in publicis Documentis ea legi, brevibus adnoto. Conf. §. XVIII. in ordinatione Judiciorum Aſſeſſorialium Regis Joannis III. & in Teſtamento Regis Michaelis anno 1673. ZALVSKI *Epiſtolar. Tom. I. fol. 484.* Cæterum celare non poſſum, Piaſecium, aliosque Scriptores Rerum Polonicarum, Supremos Cancellarios appellare Archicancellarios; & Procancellarios, Minores Cancellarios; ut & Supremos Regni Mareſchalcos, Archimareſchalcos; Curiæ autem, Minores Mareſchalcos; malui tamen conſvetudinem loquendi ſequi, quam hodie inſolitis Titulis inſignire eosdem.

§. XVI.

Prærogativa Supremi Cancellarii. De Prærogativa Supremi Cancellarii, quid Olſzowſki, t. t. Procancellarius, ad Mareſchalcum Ordinis Equeſtris ſcripſerit olim, communico ex ZALVSKII *Epiſtol. Hiſtorico-Familiar. T. I. fol. 311.* ſq. Supremum Regni Cancellarium ſatis mirari nequeo, quod me temerè, ex levibus Cancellarii Lithuaniæ informationibus, non præventum ulla literâ, aut amicabili præcautione, ut cum collega agendum eſſet, expoſtulatione ex ſupervacaneo laceſſat. Manifeſta ad manus ejus ex cancellaria ſunt ordinata, ſi videbantur devia, offenſiva, nociva, licuit auctoritate, qua pollebat, Cancellarii & Generalis, eorum publicationem impedire, mittere ad informandum Regi, mihi ipſi & cancellariæ meæ præmonitionem dare, quam velut a Seniore grato animo ſuſcepiſſem. LVBIENSKI in *Paræneſi Opp. fol. 215.* meretur præterea, cujus huc facientia prælegam verba: Collega Tuus Jacobus Zadzik, Epiſcopus Culmenſis, nuper Supremus Regni Cancellarius renuntiatus, &c. Pares quidem ſunt & ejusdem poteſtatis

D Fun-

Functiones, sed iste Judiciis imprimis præest, eaque ita moderatur, ut dum præsens in aula versatur, omnia Decreta sub ejus censura & nomine prodeant. Ad eum pertinet, externorum Principum missas ad Regem Legationes excipere; responsa dare; Legatis Regiis mandata Legationum præscribere; rationes obitæ Legationis ab eis reposcere; consilia publica in Senatu auspicari; quæque in consilium veniunt, Regio Nomine proponere; comitiorum apparatum omnem expedire. Hæc, isto absente, omnia quoque ad Te (Procancellarium) pertinebunt; sed & isto præsente, si aliqua pars hujus oneris, exceptis Judiciis (neque enim communicari solent) Regia Voluntate Tibi deferetur, per Te sustinenda erit. Plura momenta Prærogativæ, cum Libri Polonici non revelaverint, sed silentio involverint, enarrare non possum. Quod autem Procancellarius, tantùm absente Supremo Cancellario Judiciis præsit, infra docebitur copiosius. Cæterum integram Historiam mutatæ Prærogativæ Cancellarii Supremi olim enarravit loc. cit. p. 15. RUDGERUS zur Horst: Accedamus ad Regnum Poloniæ, ibique etiam Cancellariorum antiquitatem evolvamus. Primum singulos tantum Cancellarios ab initio in Regno fuisse, satis constat. Et quamvis subsequentibus temporibus, Regno in aliquot Principatus aliquoties distracto, quot Principes, tot Cancellarii etiam existerent: morte tamen Principum, ad communionem Regni Ditionibus eorum reversis, cum iisdem Cancellariorum etiam numerus ad unum Regni Cancellarium redire solebat. Postea cum partim multitudine negotiorum, aliquando etiam valetudine, aut aliis rebus avocatus, omnibus satisfacere is non posset, ut Vicecancellarius, qui isto impedito partes ejus exciperet, esset, institutum fuit, qui primis quidem temporibus, ut nomine, ita re, Vicecancellarius erat; usque ferè nisi absente aut impedito Cancellario, cujus ut vices gereret, institutus erat, quicquam attingebat, in eamque rem privatum, atque ut auctoritate, ita forma etiam Minus Sigillum excogitatum erat, quod præsente quidem Cancellario, apud Reges privatim asservabatur; eo autem absente, cum aliæ literæ, tum non tam donationes, quam promissa earum, per Vicecancellarium signabantur:

tur: ut quæ ita demum ratæ essent, si Majore Sigillo postea per Cancellarium signatæ fuissent. Itaque clausula ferè in plerisque addita reperitur, qua easdem Literas Majestatis etiam Sigillo signari se mandaturos, Reges promittebant: quo nomine Majus scilicet, quod in Cancellariorum potestate erat, vocabatur. Cum autem Cancellariorum auctoritas eò excrevisset, ut non modo privatis, verùm ipsis fortassis Regibus gravis jam esset, Lege ab Alexandro Rege latâ, Vicecancellarius cum Cancellario exæquatus, parque utrique potestas tributa fuit. Ab eo tempore pari auctoritate, uterque negotia publica administravère.

§. XVII.

Converto me ad Munia, Officiaque Cancellariorum præstanda & administranda, quæ tanta sunt & tam multifaria, ut quisque obstupescat & miretur, qui fieri possit, ut in viribus Duorum Virorum sit positum, ad omnia & singula adtendere animum, & vix tolerabile suscipere onus atque sustinere. Multa finxerunt Veteres de Atlante, (vel tribus Atlantibus, qui sæpe confunduntur a Poetis) quod Cœli totius Machinam humeris sustentet, ut Diodor. Sicul. L. III. c. V. Cicero V. Tusculan. Quæst. c. 3. Vitruvius L. VIII. c. 10. prodiderunt memoriæ; sed de Regni Poloniæ Cancellariis certior est veritas; de qua inter omnes conveniet, qui paullò adtentiori animo ponderare & perspicere volent dicenda. Strictim verò & concise cum præcipua proponere atque enarrare, vel digito monstrare mihi sit necesse; ea ex re sit Argumentum: *Munia, Officia et Jura Cancellariorum, vivo Rege.*

I. Quod Supremus Cancellarius Regni præsens, isque solus, Jus dicat in Judicio Regio Assessoriali, cui præsidet, ideo ita appellato, quod Assessores sint Referendarii, Regens Cancellariæ, Notarius Decretorum, & quidam Secretarii Regii ad hoc constituti & electi. Agitantur in hoc Illustri Judicio, causæ, quæ a civitatum Judiciis per Appellationem seu Provocationem ad id devolvuntur, & secundum Constitutiones Regni, Jus Culmense, Lubecense, Saxonicum & Civile deciduntur, a Cancellariis hæc Decreta subscribuntur, & Sigillo Regni corroborantur; ut pluribus docuerunt ZAWADZKI in *Processu* *Jus dicunt in Judicio Assessoriali.*

cessu Judiciario, LIPSKI in *Observationibus Practicis*, & JOH. NIXDORFF in *Processu Judiciario Poloniæ & Prussiæ Regalis*. Conceditur quoque Appellatio ad idem Judicium a Judicio Palatinali, quando Christianus cum Judæo litigans, gravatum se sentit, ut & aliæ quamplurimæ controversiæ. Quibus Diebus, & his quales sint Actiones, ex Ordinatione Regis Johannis III. quæ constitut. a. 1683. fol. 7. inserta, omnium optimè cognoscitur. Vid. inter Documenta Lit. A. A.

Quod ad Prussicas adtinet Causas, non aliæ, quam quæ ex & de civitatibus Prussiæ majoribus & minoribus per Appellationem a Judiciis ordinariis transeunt ad hoc Judicium Regio-Aulicum, in eoq; audiuntur & deciduntur; nec ulterior Provocatio privatorum vel Prussorum, vel Polonorum ad Judicia Relationum valet, nisi Cancellarius precibus submissis motus, eam sponte concesserit & remiserit; alias talis temerè provocans seu appellans, per integrum annum in turri captivus detinetur, vel alia afficitur pœnâ. Conf. LIPSKI *loc. cit. Cent. I. Obs. 12.* Hæc Appellatio & Citatio ad Judicium Assessoriale, solum Nobilitati & civitatibus Prussiæ olim erat reservata a Rege Stephano, cum Tribunalia Regni constituerit anno 1578. Conf. JANVSZOV. *L. VII. Constitut. Part. 3. pag. 332.* & licet sub Sigismundo III. Nobilitas Prussica huic suo Juri renuntiaverit an. 1585. & se Tribunali Regni Petricoviensi submiserit, civitates tamen Prussicæ, etiam ratione Bonorum Terrestrium, in nullo alio Judicio, quam Assessoriali, se judicari patiuntur. Conf. Scriptum, quod prodiit titulo præfixo: *Immunitas Civitatum Prussiæ a Jurisdictione Tribunalium Regni Ann. 1718.* & constitutiones An. 1726. in comitiis Grodnensibus, art. Trybunał, &c. Evocationes civitatum Prussiæ ad Tribunal interdixerunt. Porro notandum est, quod civitates Prussicæ Majores Jus antiquum, a Judicio Assessoriali ad Judicia Relationum, quibus Rex ipse præsidet, se conferendi, si sententiâ lata non sint contentæ, retineant, quando de Juribus & privilegiis earundem disceptatur; nec ullus Cancellarius hoc denegaverit Jus, usque ad annum 1696. mense Januario, quo primus Dœnhofius, Supremus Cancellarius, Thorunensi civitati hoc eripere erat ausus. Posteaquam verò

verò hæc, cum Elbinga & Gedano consociata, graviter apud Regem Johannem III. esset questa in libello supplici, confirmationem antiquorum Jurium feliciter obtinuit, ut ex Documento patet hoc:

Joannes III. DEI Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest, universis & singulis, Quemadmodum a susceptis Regiis Diadematis Insignibus, cum Clementia erga omnes Regni Ordines concepimus affectum, ut omnes illos Gratiâ & Protectione Nostra complecteremur, atque Immunitates, Jura, Privilegia & Consvetudines illorum, quibus a Divæ Memoriæ Prædecessoribus Nostris fruuntur, in valore suo conservaremus: ita cum singulariter nomine Civitatum Majorum Terrarum Prussiæ, per querimoniam expositum esset, qualiter partim cursus Justitiæ, contra antiquissima earum Jura, hinc inde in Judiciorum subselliis immutetur, (præsertim ad Judicia Nostra Assessorialia) per hominum licentiosorum fallacias eadem Jura frequentibus subjaceant præjudiciis, ac inter illa Jurisdictionem Nostram Burggrabialem, quotannis pro publica in Civitatibus illis securitate, speciali Privilegio confirmatam, per illicitas Causarum avocationes, & temerè exportatas prosecutiones Appellationum tantum non convelli: Tum verò Beneficium a Decretis Judicii Nostri Assessorialis, ad Nostra Relationum propriarum Judicia appellandi, queis suis Juribus jam inde ab accessione ad Regnum Poloniæ possessis, gauderent, denegata ad Nos Appellatione seu Remissa, etiam in Causis Notabilibus, diminutionem subinde pati: proindeque Nobis supplicatum esset, ut eadem illarum Civitatum Majorum Prussiæ Iura Burggrabialia, cum integra in Criminalibus & causis facti decidendique facultate, nec non legitimè quæsitam ad Nostra Relationum propriarum Iudicia appellandi facultatem, speciali Diplomate Nostro approbare, innovare, confirmare & ratificare dignaremur: Nos justæ Supplicationi earundem Civitatum Majorum Prussiæ, fideli & sincera subjectione semper Nobis commendatarum, gratiosissime annuentes, obviando ulterioribus præjudiciis, omnia & singula prædictarum Civitatum Jura, Privilegia, Responsa & Decreta, quocunque nomine venerint, a Serenissimis Prædecessoribus Nostris, ipsis indulta, ratione Iurisdictionis Burggrabialis, quam quotannis per assignationem Burggrabii Nostri confirmamus, quatenus ab ejusdem Officio seu solo, seu cum Ma-

Magistratu conjuncto, in Causis criminum & facti Appellatio non detur, sed Decreta ejusdem, illico ob publicam securitatis rationem, pro re judicata habeantur. Deinde Ius quoque D. Ioannis Casimiri Regis Prædecessoris Nostri, benignissimo Responso ad Instantiam Statuum & Ordinum Terrarum Prussiæ emanato, perpetuo usu observatum & observandum, declaratum modum, rationem & ordinem admittendarum ad Iudicia Nostra Relationum a Iudicio Nostro Assessoriali Appellationum in se comprehendens, in omnibus approbanda, ratificanda & confirmanda esse duximus; ut quidem approbamus, ratificamus & confirmamus hisce Literis Nostris, decernentes easdem debitæ & inviolabilis firmitudinis vim & robur perpetuó obtinere debere, non obstantibus ullis Rescriptis, Appellationibus, Citationibus, Declarationibus, Inhibitionibus & Præjudicatis in contrariam obtentis & obtinendis. Quæ singula, uti invalida, & legitimum Iustitiæ ejusque executionis cursum impeditura, Literis hisce Nostris declaramus. In quorum fidem præsentes manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni muniri mandavimus. Varsaviæ, die XV. Mensis Maji, Anno Dom. M.DC.XCVI. Regni vero Nostri XXII. Anno. Joannes Rex.

(L.S.) *Nicolaus Tomislawski, Cra. Varf. Cur. Regiæ Majest. Secretarius.*

De usu & auctoritate hujus Regii Rescripti, vel Renovationis Privilegii, non ero sollicitus, adnoto tantum, rogari hodie solere Cancellarios, præsertim si controversiæ civitatum privilegia concernunt, ut remittant ad Judicia Relationum, vel operam adhiberi, ut ipsi Reges per schedulam, a Cancellariis id fieri vel cupiant vel postulent. Præter hæc docent Scriptores Juris Publici Polonici, Regem in ipsa urbe vel Palatinatu eodem oportere esse præsentem, alias Judicia Assessorialia non posse exerceri; sed nostra tempora contrarium probant, cum ex dispensatione Reipublicæ, Rex Augustus II. & Rex Augustus III. Dresdæ fuerint extra Regnum, & nihilominus Cancellarii Jus dixerint in hoc Judicio Regio. Quin imo habent Cancellarii absente Rege potestatem, aliam urbem in Regno eligendi, ad celebranda hæc Judicia Assessorialia, id quod anno 1738. Leopoli & non Varsaviæ factum. Cæterum in Judicio Relationum ipse Rex præsidet, & cum Senatoribus assidentibus, Referendariisque, quorum alter Statum & Decisum causæ refert, de illis judicat, quæ a Judicio Assessoriali per Remissam ad id venerunt. Vbi non tacendum, quod si causæ civitatum Regni ventilentur, adesse soleat Cancellarius Lithuaniæ, & si Lithuaniæ civitatum causæ discutiuntur, Cancellarius Regni intersit. HARTKNOCH *l. c. p. 796.*

Privilegia &c. expediunt.

II. Privilegia, Salvi Conductus, Protectoria, Literæ Moratoriæ, aliaque innumerabilia, in pergameno & charta dari solent petentibus ex cancellaria, & possunt; dummodo observentur, in constitutionibus, Pactis conventis, usu & consvetudine præscripta & tradita. HERBVRT enim refert, constituisse anno 1504. Alexandrum Regem, ut Cancellarii nullas Literas pergamenas, sine scitu & expressa voluntate S. R. Maj. neque papyraceas, quæ Regiæ Dignitati possent derogare, aut damnum Reipublicæ afferre, vel Juri communi & Libertatibus adversentur, vel quæ prioribus Literis ex cancellaria emanatis sint contrariæ, sub amissione Officii, ad Instantiam Nuntiorum Terrestrium, & periculo perjurii extradere debeant. Porro Sigismundus in constitut. 1562. fol. 21. hæc jussit: Cancellarius & Vicecancellarius Regni, contra Statutum Alexandri de Bonis Mensæ Regiæ, Literas non extradant, pro Donationibus, Obligationibus, Venditionibus, Feudis. Idem Sigismundus Rex in constitut. an. 1550. exposuit, quid sint Literæ contrariæ Juri, scilicet Literæ Inhibitiones continentes ad Judicia, Exemptiones ab iisdem nulla svadente id necessitate Reipublicæ, item commissiones inter personas, nisi in causa granicierum vel divisionis inter fratres, vel de consensu partium essent; item Liberationes ab expeditione bellica; item Literæ Expectativæ, quæ dent occasionem captandæ mortis; & de ultimis non extradendis specialis & recentior exstat constitutio an. 1699. fol. 50. cum Reassumptione antiquarum constitutionum an. 1550. & 1613. simulatque injunctum Dominis Cancellariis, ut seriam animadversionem super ejusmodi Literis habeant, & casu, quo extraditæ essent, nullitatis vitio subjaceant, & impetrans ipso facto ejusmodi Vacantis etiam post mortem sit incapax. Et tanto magis Privilegia in

in Bona Terreſtria extradita eidem rigori ſubjaceant; contra cancellariam autem pœnæ in Legibus deſcriptæ reaſſumptæ ſunt. Neque non in conſtitut. an. 1638. fol. 3. ſtatutum: ne Cancellarii utriusque gentis Privilegia pro Diminutione Menſæ Regiæ ſigillent. Porro in Articulis Pacificationis an. 1717. qui in comitiis Generalibus confirmati, conſtitutionibus Regni inſerti, & in Pactis conventis Regis Auguſti III. feliciter regnantis repetiti, Artic. II. §. 6. hæc leguntur: Privilegia in honores, vulgo z Okienſkami, nemo impetrabit, neque pro ſigillatione eorum moleſtus eſſe debebit; curabuntque (Cancellarii) ne Honores & Dignitates Regni terrigenis M. D. Lithuaniæ, in Regno nullas poſſeſſiones habentibus, & vice verſa Munia & Dignitates M. D. Lithuaniæ terrigenis Regni, nullas in Lithuania poſſeſſiones habentibus, ſigillentur, ſub amiſſione eorundem & declaratione pro vacantibus, ſalvis tamen modernis poſſeſſoribus. Invigilabunt inſuper ſerio, & ſolitam inter ſe cancellariæ communicationem habebunt, ne Privilegia ſuper unum idemque munus, duabus perſonis extradatur, videlicet unum ex Majori, alterum ex Minori cancellaria Regni & M. D. Lith. ad evitandas clades domeſticas, & ſciſſiones per Palatinatus. Cui malo obviando Privilegia in Majori cancellaria ſigillata, ad Acta Metrices cancellariæ Minoris, & e contra per Oblatam porrigantur & ibidem acceptentur. Diſcrimen perſonarum facient; militares etiam menſes exacte obſervabunt; nulli prorſus exotico, aut incertæ Nobilitatis; Diſſidentibus vero in Religione, non, niſi ſine præjudicio Catholicorum Gratias Regias ſigillaturi. Et quoniam nonnulli motivo ambitionis, ſuſpectum genus Nobilitatis ſuæ, erectione novorum ſub ſuo nomine oppidorum villarumque fundare & avthentiſare, ac tandem poſt longiorem temporum revolutionem antiquare deducereque volunt, Magnifici Capitanei Tenutariique Illuſtriſſimis Cancellariis ac Procancellariis Regni & M. D. Lithuan. notificare tenebuntur, ne per ignorantiam ejusmodi & erectiones ſubreptitiè ex cancellaria exportentur, & quidquid ſub talium oppidorum villarumque erectarum nomine præjudicii publici prodierit, confiſcationi ſubjacebit. Ex LVBIENSKII

SKII Paræneſi quin hæc mutua accepta his addam, non poſſum, ubi: Omnia Referendariorum Reſcripta, quæ non niſi in cauſis colonorum & glebæ in Bonis Regalibus adſcriptorum, ſub eorum ſubſcriptione emanare debent, cenſuræ Cancellarii aut Vicecancellarii obnoxia eſſe, & in iſtorum errores juſtâ litura animadverti poſſe, addo. Regentem cancellariæ opto, ut talem ſortiaris, (quem Jure Tuo tuaque voluntate ſortiri Tibi fas eſt) qui omnes in ſcribendo Tuos ſciat & poſſit levare labores: penes Te ſit cenſura iſtius ſcriptorum. In omnibus Reſcriptis, quæ ſub nomine Regio prodeunt, ne Legibus contraria ſint, ſeriò animadvertendum eſt: in iis autem, quæ ad exteros Principes, ſive officii cauſa, ſive in Reipublicæ aut privatorum etiam negotiis, ſcribuntur Literis, tum in formandis Legationum præſcriptis, Dignitatis Regiæ & Reipublicæ, habenda eſt ante omnia ratio. Regens autem cancellariæ Tuæ, vellem ut a Te uno dependeat, a Te promotionem expectet, nec ſine Te aliorum affectet ſuffragia; ſemper ad nutum Tuum paratus exequi, quicquid mandaveris; nihil ad ſcribendum Regi offerat, niſi quod Tu antea videris & probaveris; neminem Regi, idque nomine Tuo, commendet, niſi quem Tu commendandum juſſeris; in omni ad Regem acceſſu, reverentiali timore iſtum perfundi velim, ut qui non ſuo, ſed Tuo Jure cum Rege agendi poteſtatem habeat, Tibique uni rationem reddere teneatur. Ex hoc ipſo auctore LVBIENSKI, quamplurima alia proponere poſſem; cum verò infra integram *Paræneſin* recudi curaturus ſim, hic ſubſiſto, & ad alia propero, lectu non injucunda. Cum in fine Literarum Regiarum, quæ ex clementia & gratia proficiſcuntur, legantur ſequentia: *In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentibus manu Noſtra ſubſcripſimus, Sigillumque Noſtrum appendi juſſimus;* Ibi Dominorum Senatorum, Officialium, Secretariorum, Nuntiorum Terreſtrium in comitiis quorundam nomina exprimuntur, & poſtea: *Per manus Cancellarii vel Vicecancellarii.* Sic ut prior Rex ſubſcribat, infra aliquis Secretariorum. Ea ex re Originem & Hiſtoriam ex RVDGERI zur Horſt *Cancellario, pag. 651.* eorum in gratiam, quibus hic jam rarus liber non eſt ad manus, diſcere

& enarrare non piget feqq. Quondam nullis Diplomatibus, nullis Donationibus five perpetuis five advitalitiis Rex fubfcribebat, fed Cancellariorum fidei ifta concredebantur: qui, quæ a Rege alicui promiffa aut collata in aliquem effent, fideliter referebant, fuæque manus fubfcriptione, & Sigilli Regii appenfione, fidem eis faciebant. Ita enim a multis retro temporibus anno 1222. Gothardum & Nicolaum, Poloniæ Cancellarios, Privilegio Donationis & Fundationis Epifcopæ Culmenfis fubfcripfiffe, in Cromero Lib. VII. invenimus. Similiter apud Herbortum Statut. pag. 240. Privilegio cuidam Judæis a Cafimiro M. Rege conceffo, Zbigneum tum Cancellarium a. 1334. fubfcripfiffe animadvertimus. Simili ratione multa alia Regum Indulta & Privilegia ibidem, Cancellariorum manibus effe fubfcripta cernimus. Sic enim reperitur ibi pag. 349. 346. 392. 354. 100. 468. anno 1422. Albertus Jaftrombecius, Cancellarius, cum collega Johanne Safranecio Vicecancellario; Sic anno 1433. idem Safranecius tunc Cancellarius, cum collega Vladislao de Oporow, Vicecancellario; Anno 1436. Johannes de Koniecpole cum collega Vincentio Coth; Anno 1438. idem Koniecpolius cum collega Petro Woda de Szczekoczyn; Anno 1457. Johannes Grufcinius Vladislavienfis Epifcopus, cum collega Johanne Luthkone de Brzeżie; Anno 1478. Stanislaus de Kurżozwiaki folus fubfcripfit absque collega; A. 1496. Creslaus de Kurzozwiaki, Vladislavienfis Epifcopus folus reperitur; Anno 1504. Johannes de Lafco cum collega Matthia de Drżewicka. Sed quis plurium aliorum Subfcriptiones enumerare ita exactè velit, qui *absque manu Regia* Privilegiis variis fubfcribere foliti funt. Mos autem cum ad B. memoriæ AVGVSTVM REGEM usque duraffet, ab eo privata denuntiatione fublatus fuit; cum nullam Donationem aut fimile Jus, cui ipfe non fubfcripfiffet, rata fe habiturum, aliquot ante mortem annis in comitiis profeffus fuiffet. Quod ipfum deinde Reformatione cancellariæ Henricana confirmatum etiam fuit; & nunc quoque in Aula Regia, caufas politicas per Secretarium Majorem vel per Regentes expediri, & ad Subfcriptionem Regiæ Majeftatis offerri obfervamus. Præter Regiæ Majeftatis Subfcriptionem infuper

fuper & a Regente ut plurimum, aut a quoquam alio Secretario fubfcribuntur; nimis enim laboriofum effet occupatiffimis Dominis Cancellariis, fi pro Regni amplitudine, quæ nunc major quam olim, omnibus fcriptis fubfcribere neceffum haberent; in iftorum ergo fublevamen funt Secretarii Regii, qui iftos relevant ab onere fubfcribendi. Caufis tamen Judicialibus, nempe Decretis, aut Supremus Cancellarius aut Vicecancellarius fubfcribit, unà cum fubfcriptione Notarii. Præfentis Augufti III. Regis pacta conventa §. 36. habent hæc: Judicata quorumvis Magiftratuum, præcipue vero Curiarum Noftrarum, ne per ulla Refcripta privata refufcitentur, fub nullitate eorum fedulò cavebimus, & Salvos conductus, vulgo Gleyta, in Regno fecundum antiquam praxim, ad Jus agendum, folummodo ad decurfum fex menfium, & prorogationes Salvi conductus plus binis vicibus extendere, Cancellariis Noftris non concedemus, neminemque captivare, nifi Jure vinctum, permittemus. §. 37. Privilegia omnia, tam publica, quam privatorum, ab Anteceffloribus Noftris conceffa, in quantum Juri & Legibus non repugnant, confervare & manutenere fpondemus. §. 39. Providendo omnibus Juribus & Immunitatibus Provinciæ Prufficæ, ne ullam læfionem accipiat, provifisque fuis in toto gaudere poffit, Legibus & Verbo Regio fpondemus, quod omnia vacantia, tam Ecclefiaftica, quam Secularia fubfellia Senatoria, Officia & Capitaneatus, Tenutas & Advocatias, folis, veris & indubitatis Indigenis Nobilibus bene meritis, vigore Privilegii Incorporationis & Diplomatum Sereniffimorum Anteceflorum Noftrorum, & iftorum, quæ Nos Ipfi feorfivè iftis dare declaramus, conferemus, neque confenfus ad cedendum permittemus, & cafu, fi quis Privilegium huic Sponfioni Noftræ contrarium jam obtinuerit, illud ex nunc pro nullo & invalido declaramus, Nuntiisque indigenis Libertatem, non folum ejusmodi Privilegium reclamandi, fed etiam viam agendi in Judiciis Noftris Poftcurialibus pro repofitione & abjudicatione Privilegii atque confenfus, concedimus. §. 41. Caufas omnes in Judiciis comitialibus, poft Curiam, ex Regeftro, non immutando iftorum ordinem, judicabimus, nec aliquid in præjudi-

judicium Justitiæ & injuriatorum fieri permittemus, conformando sententiam Nostram ad pluralitatem votorum, quæ statim intra triduum sine depactione & immutatione, partibus in debita forma extradi debet. Judicia quoque Curlandiæ in terminis circumscriptis, præviis Intimatorialibus, non prætermittere declaramus. §. 42. In Judiciis Postcurialibus, juxta præscripta Henrici Regis, ex sententia Dominorum Ministrorum ad latus Nostrum residentium, procedemus, & Deliberationes tertia die expediemus, omnesque causas adhuc in Deliberatione pendentes expediri curabimus. §. 43. Judicia Relationis neutiquam prætermittemus, quin imo accelerationem illorum per intervalla stipulamur, Notariosque in his causis secundum antiquam praxim conservabimus, ipsaque Decreta per pluralitatem votorum Senatorum conscribi curabimus. §. 44. In omnibus causis, ad quævis subsellia inter concives Regni & M. D. Lith. intervenientibus, instantias contra injuriatos non dabimus.

Sigilla custodiunt, & Libros Cancellariæ.

III. De Sigillis & Libris cancellariæ, quæ hinc inde in Polonicis auctoribus legi, brevibus communicabo. Sunt verò hæc: Per constitutiones an. 1576. fol. 255. an. 1607. fol. 837. an. 1646. fol. 2. an. 1669. fol. 4. Custodia Sigillorum Regni, Majoris & Minoris, imo Cameræ, penes Cancellarios est, & Reges promittunt in pactis conventis, quod in causis & expeditionibus Reipublicæ, vel ad Regnum pertinentibus aliis negotiis iisdem uti velint, raro autem Sigillo Cameræ, & tantum ante Coronationem; privato autem seu natalitio Literas ad exteros Rex electus, nondum verò coronatus, signare potest, minime verò in Regni rebus. Conf. Johannis III. Pacta Conventa, num. 24. Dignus est PIASECIVS, qui hic audiatur, in *Chronic. fol. 456.* faciens verba: Istud quoque erit observatione non indignum, quod Rex electus Vladislaus ad istos conventus Terrarum singulares (ante coronationem) non miserat, ut solet Rex regnans, Instructiones aut Nuntios suos, (præter literas privatas in negotiis fratrum suorum juniorum ac pompæ funebris patris sui) eò quod Electus Rex non potest exercere functiones Regias, ante quam coronetur. Nec distribuit Beneficia aut Officia, nisi aliqua in futurum pro-

promittat, ut iste liberaliter plurima plurimis promiserat. Vnde & Cancellarii nil sigillant, & demum, postquam Sigilla Regis defuncti circa ejus funeris celebritatem confregerint, a coronato Rege novo nova accipiunt. Literæ autem ab Electo Rege, præsertim officiosæ ad Principes exteros, interim scribuntur cum titulo: Rex electus; ac Sigillo, quo iste utebatur ante Electionem suam, signantur. Memorabile igitur est, quod RVDGERVS zur Horst *loc. cit. pag. 684.* commemoravit: Annulum Signatorium, in absentia Cancellariorum, a Regibus Poloniæ fidissimo cuique communicatum esse, in Historiis deprehendimus. Ita enim Rex Vladislaus Jagello, Cancellario & Procancellario absentibus, Annulum Signatorium Nicolao Drevitio, Custodi Sendomiriensi; & postea Rex Alexander, iisdem absentibus, Joanni Lasco credebat. NEVGEBAVER in *Hist. Polon. L. V. p. 284.* Et quod magis est, Rex Sigismundus Augustus, cum aliquando longo tempore in Lithuania morabatur, Petrum Miscovium, tum Secretarium Majorem (at postea Regni Procancellarium nominatum) absentibus Cancellariis, quadrato Sigillo præter morem uti permittebat. Warsewicius in Parallelis L. II. pag. 363. Præterea a lectione hujus allegati libri RVDGERI recens, non possum non singularem Historiam repetere, quam *pag. 710.* retulit ex WARSEWICII *Parallel. L. II. pag. 51.* & NEVGEBAVER *Histor. Polon. L. VIII.* Postquam anno 1559. Joannes Przerembius in comitiis Petricoviensibus tum Archiepiscopus factus, Philippo Padniewio Procancellarius resignato munere, e comitiis domum se recepisset; Rex etiam Sigismundus Augustus Cracoviam reversus esset, de casu infelici Padniewii, jam Procancellarii facti, non sine dolore cognovit. Comitabantur hunc Vicecancellarium, ex arce Cracoviensi in urbem redeuntem, ut fieri solet, plurimi, ex quibus quidam, de quo nulla erat suspicio, ob splendidas vestes, cum reliquis familiaribus in conclave ingressus, torquem aureum, cui Sigillum Regni appensum, a Padniewio in penitius cubiculum se recipiente, in mensa depositum abstulit, protinusque in pedes se conjiciens eadem nocte Bochnam usque pervenit. Padniewius inopinato hoc casu vehementer perturbatus, in quem-

quemnam culpam transferret, dubius erat. Rex ipſe a Nicolao Trzebochovio, præcipuo Cameræ ſuæ Præfecto, certior ea de re factus, ſtabat initio attonitus, & quædam hac in parte exempla, ad atrocitatem facti exaggerandam, memorabat vetuſtatis; ſed tergo ad focum, apud quem ſe tum calefaciebat, verſo, utique non defore artifices Cracoviæ, qui huic non abſimile Sigillum conficerent, tandem reſpondit. Sed ecce, dum Aula & Vrbs furto iſto perſonat, fur Bochnæ a Krzycacio, Salinarum Adminiſtro, deprehenſus, Cracoviam mittitur, & torques, Sigillo Regio jam contuſo, Procancellario reſtitutur, & fur ſupplicio facinore eo digno, candenti ſigillo per urbis tus, & fur ſupplicio facinore eo digno, candenti ſigillo per urbis compita lancinatus, laqueo vitam finivit, ac omnes illas frivolas de nonnemine ſuſpiciones tranquillavit. In ZALVSKII *Epiſtolis Hiſtor.-Familiaribus, Tom. I. fol. 670.* Olſzowſki, Procancellarius, hæc memoratu digna reliquit, de Sigillo Cameræ ejusque uſu & auctoritate: Sigillo Conclavis ad publicas cauſas uti, vetant Pacta conventa: Similiter Arendarii ad aliquot annos contractus Sigillo Regni in Polonia, M. D. L. in Lithuania, pro ſecuritate Arendantium, firmari petunt. Non licere tamen ad privatas cauſas, nominatim Oeconomiæ, ad reviſionem rei familiaris, ad ordinationem proventuum Domini, Inſtrumenta cum Sigillo Conclavis evehere, Commiſſarios ad Bona expedire, Adminiſtratores ad tempus inſtituere, erroneè & contra praxin allegatur: alias etiam Literas publicas ſcribere, Res Belli & Status tractare, Ordinationes Ducibus & Exercitui dare, irritum foret, eo prætextu, quod ſine Magno Sigillo pro injuria Legum, diminutione Officiorum, reputare, non æſtimare, eisque non obedire impunè liceret. Mittit Majeſtas Regia Commiſſarios ſuos ad Oeconomias, de iſtisque liberè diſponit; nemo tamen nullitatem Inſtrumentis & illegitimitatem objicit Commiſſariis. Cauti Gedanenſes juxta ſuas Leges non niſi Capiti Coronato proventum Fontcameræ tenentur extradere; ex novo nihilominus prolongatæ coronationis (Joannis III.) emergenti, ad ordinationem & quietationem, cum Sigillo conclavis, Summam ad ærarium Regis comportarunt, Scripta publica Principis, tam Magiſtratus, quam Communitas, præter

ter morem & Jura ſua acceptarunt, eaque typo expreſſa ad effectum deducunt; magna profectò hinc inconvenientia, & multarum ex privatis rationibus quæſita cauſa diffidentiarum, cum irreparabili patriæ defenſione ſua deluſæ, damno: dum Rex ſuarum rerum arbiter, ſuos vult proventus perſpectos habere, ſine quibus Dignitas Regis & Reipublicæ ſubſiſtere nequit. ZALASZOWSKI *loc. cit.* addidit & obſervavit de eodem Sigillo non tacendum vel omittendum: Conceſſum fuit Regi Johanni III. ut nominationem Archiepiſcopi Gneſnenſis in Interregno (id eſt, poſt Electionem usque ad coronationem) quoniam Reipublicæ, ut habeat Interregem & Primatem, maxime intereſt, Sigillo Cameræ ſubſignaret. In Pactis conventis feliciter imperantis Auguſti III. Regis, §. 19. legimus: Sigillo Cubiculari & Signo Privato, in negotiis Reipublicæ expediendis, neutiquam utemur; Literas omnes & Ablegationes publicas, ſolo idiomate Polonico & Latino expediemus, Privilegiaque & Vniverſalia, ſub Sigillis ſupradictis, etiam ex Senatusconſulto, dari non permittemus, reſervando ejusmodi expeditionem ſolis Cancellariis utriusq; gentis. Addo ſingulare, quod habet HARTKNOCHIVS *loc. cit. pag. 310.* Rex Electus mandata ad comitia coronationis, ſub titulo Regis Electi, Sigillo terreſtri impreſſo extradit, ut obſervatum eſt poſt Electionem Vladiſlai IV. Johannis Caſimiri & Michaelis. Sed in Denuntiatione Ordinum de Johanne III. Electo, conceſſum erat, ut Rex uteretur hac in re Sigillo Camerali. Denique de Libris Cancellariæ, ZALASZOWSKI *loc. c. fol. 717.* profero in medium verba: Libros Decretorum & Privilegiorum ſub cuſtodia ſua habere tenentur Cancellarii, unumque vel duos Notarios Juratos habeant, qui Decreta, Inſcriptiones, Privilegia & alias Literas, quæ ſub Sigillo Regis exeunt, connotent. Quodſi aliquis ejusmodi Literas fatali caſu amittat, Regentes cancellariæ alias ex Actis ſub Sigillo Regis, ſine ulla difficultate extradant. Ita Sigismundus Petricoviæ anno 1538. ut refert Herburt. & ubi Literæ ex Libris Cancellariæ extractæ allegarentur ſuſpectæ, Regeſtrisque ſeu Libris Cancellariæ comprobari propter antiquitatem non poſſunt, tum Juramento producentis, ut mo-

moris est, comprobari debent. Is idem Rex Sigismundus eodem anno, ut refert Herburt. fol. 56. declaravit: Quod Libri seu Regestra Cancellariæ ad probationem super Bonis, quod fuerint Regalia, nullius valoris & momenti sint; Causæ tamen Terrestres, seu ad Judicia Terrestria pertinentes, coram Regia Majestate ventilatæ, in Librum Actorum Terrestrium istius Districtus, ubi comitia peragerentur, inscriberentur, statuit Sigismundus Augustus anno 1550. fol. 3. Similiter & causæ criminales in comitiis agitatæ, tum Remissæ a quibusvis Judiciis, præter Judicium post Curiam, ut in constitut. anno 1641. fol. 7.

Jura circa Legatos.

IV. Si ab exteris Principibus, cujuscunque sint Dignitatis, Legati mittuntur, vel ad solum Regem, vel ad Rempublicam, a Rege recipi & audiri non possunt, nisi consentientibus Senatoribus residentibus, inprimis Mareschalcis & Cancellariis: imo soli Cancellarii, cum mandata sua Regi separatim proponunt Legati, iisdem nomine Regis respondent; quodsi verò coram tota Republica comparent & audientiam cupiunt, tum tres Literas tradunt, Regi, Senatoribus & Equestri Ordini in comitiis, ubi nomine Regis Cancellarius; nomine Senatûs, ex isto Ordine primus; & nomine Equestris Ordinis, Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium, respondent. CHWALKOWSKI *l. c. pag. 394.* Quamobrem Legatorum exterorum officium est, ut præviis Literis Principum suorum, quando in sedem Regiam venerunt, Cancellarios de adventu certiores faciant, ad eos invisant, & cum eis mandata communicent; qui postea eadem Regi referunt & solennem accessum procurant, certo indicto die, denique pro circumstantiis responsum Regium ad Literas expedire solent sub Sigillo Regni. Quoties præterea salus Reipublicæ poscit, ut ad exteros mittantur Legati, per constitutionem anno 1588. comprobatum est, ut a Rege conscis Senatoribus, præsertim in Aula ad latus Regis residentibus, hoc Jus Majestaticum exerceatur; cum olim sine consensu Senatorum id usurpare potuerit. Si verò ob Fœdera, Bellum, Pacem, aliasque Rempublicam attingentes res, & cum periculo conjunctas, sunt mittendi Legati, de iis in comitiis ordinariò deliberatur, Mandata seu Instructiones a Cancellariis conscribuntur, Senatus-Consiliis inferuntur, & publicè præleguntur. Postquam reduces facti Legati, in Scripto rationes reddunt suæ functionis & expeditionis in primis comitiis, quæ relatio Metricæ Regni inserenda; atque requirentibus Ordinibus Reipublicæ, Legati præter hæc Juramento confirmare tenentur, quod ultra terminos in Mandato sive Instructione ex cancellaria accepto, præfixos, non processerint longius, nec alia cum extraneis Principibus tractare ausi sint. Conf. pacta conventa Johannis III. & Successorum.

Cura circa Comitia.

V. Moris cum sit in Polonia, per constitut. an. 1673. fol. 18. & an. 1717. ut præterlapsis duobus annis, Ordinaria & Generalia Regni Comitia celebrentur bis Varsaviæ & semel Grodnæ in Lithuania, cura Cancellariis Regni incumbit, ut nomine Regis per Literas Vniversales, eadem Senatoribus & Nobilitati Poloniæ, & adnexarum Provinciarum, (Lithuaniæ vero per Cancellarios M. D. Lith.) indicantur, tempus & locus constituantur, & omnia ad felicia auspicia comitiorum præparentur. In singulis Districtibus ante comitia Generalia, conventus particulares seu comitiola celebrantur a Nobilitate, ad quæ Rex Delegatum mittit, qui Instructionem de rebus in comitiis deliberandis & decidendis ex cancellaria acceptam, eidem prælegit Nobilitati. Initiis comitiorum Generalium per Sacra factis, & in conclavi Nuntiorum Terrestrium Mareschalco seu Directore consiliorum ab iisdem electo, hic cum electoribus suis conclave Senatorum ad Regiam Majestatem in throno sedentem ingreditur, orationemque solennem habet, ad quam Regni Cancellarius respondet, si in Regno comitia sunt; & in signum clementiæ Regis, ejusdem manum ut Mareschalcus osculetur cum Nuntiis Terrestribus, offert. Primus ergo ad eam osculandam submissimè accedit Mareschalcus, & postea ex schedula prælegit, qui ex Nuntiis sequi debeant suum exemplum, infigendi osculum Regis dextræ. His peractis, nomine Regis, propositio negotiorum deliberandorum & conficiendorum a Cancellario Regni fit, & Ordinibus eadem maximopere commendantur; Mareschalcus vero Nuntiorum Terrestrium, vicissim Regi pro-

proponit rogans humillime, ut omnia, quæ hactenus Statum Publicum gravarunt, e medio tollantur, & ut vacantes Dignitates bene meritis conferantur. Postquam Cancellarius respondit, deliberaturam Majestatem de meritis Candidatorum, Rex discedit, Senatores vero in conclavi suo permanent sedentes & Mareschalcus cum Nuntiis suis Terrestribus se recipit in peculiare & proprium conclave deliberandi & conferendi consilia causa. Postquam Nuntii Terrestres convenerunt inter se de Statutis, Legibus, Constitutionibus & Articulis, eademque conceperunt, redeunt cum Mareschalco suo plerumque quinto die ante finem comitiorum, ad Regem & Senatores, sua placita communicant, & adplausum consensumque eorum expectant & requirunt. Consentientibus omnibus & singulis, revidentur, a Mareschalco præleguntur, & Cancellarius Regni palam quærit: utrum Regi, Senatoribus & Nuntiis Terrestribus placeat, ut Sigillum Regni adprimatur? adprobantibus cunctis, in continenti Sigillum imprimitur, & soluta sessione Mareschalcus curat, ut Archivo inferatur, & Cancellarius Secretarium quendam Regium providere jubet, ut typis accuratè mandetur. Impressis subscribit Cancellarius nomen, & Sigillo Regni signat, ad comitiola Relationum, ut & Officia Castrensia Palatinatuum & Terrarum mittit. Constitut. 1661. pag. 15. 1678. p. 12. 1623. p. 7. 1588. p. 457. ZALASZOWSKI *fol. 27.* monuit, quod per constitut. an. 1690. soli Mareschalci, manu sua subscriptas constitutiones ad prælum dent, adeoque veteres consvetudines mutatæ sint ex parte. Sive igitur felicem hoc modo, sive infelicem per ruptionem, finem nacta sint comitia, Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium in Oratione Valedictoria a Rege petit, ut liceat sibi & Nuntiis denuo manum osculari Regiam; quod Cancellarius nomine Regis respondens, ipsis permittit, & quævis felicia adprecatur. Cum vero Prussiæ Nuntii tam diu expectare & morari non possunt, usque dum constitutiones typis vulgentur, ea ex re Cancellarius Exemplar scriptum Sigillo munitum, ut reduces in conventu Generali Postcomitiali Prussiæ idem exhibere possint, extradere solet.

VI.

VI. Interea, quod Nuntii Terrestres in conclavi suo deliberando tempus usque ad quintum diem ante exitum sextæ septimanæ consumunt, Senatores cum Rege in suo conclavi non otiantur, sed Judicia criminalia & civilia exercent; de quibus CHWALKOWSKI *p. 400.* Quanta ex his enascatur negotiorum & laborum moles Cancellariis, quivis harum non expers plane rerum judicare potest etiam me tacente. Hoc tantum addo, quod & in his Judiciis comitialibus & votis circa vacantes Dignitates, Cancellariis eadem ac cæteris Senatoribus, sententiam suam dicendi & Candidatos commendandi, competat libertas & facultas; Rex vero pro lubitu, Dignitates Ecclesiasticas & Seculares distribuit, & per Cancellarios renuntiari jubet. Hartknoch pag. 678. PIASECIVS l. c. ad ann. 1603. init. retulit, quod Sigismundus III. Myszkovio contulerit Dignitatem Mareschalci in Regno Supremi, obnitente Petro Tylicio Vicecancellario, qui vocatus a Rege, ad tradendum illud Officium, (ut ejus fuit muneris) valetudine infirma se excusavit; iterum tamen monitus, quod si non veniret, ipsemet Rex functionem renuntiandi Mareschalci obire vellet, vel invitus adfuit, ac multa præfatus in laudem Myszcoviorum, nomine Regis Baculum, insigne istius Magistratus, ipsi tradidit. De Cancellariorum renuntiatione, supra §. II. quædam diximus. Ordinariò enim intra sex hebdomadas, vacantes Dignitates extra comitia a Rege conferuntur; quodsi vero paulo ante comitia tales inciderint casus, volunt constitutiones an. 1567. & 1588. nec non Pacta conventa Regum recentiorum, ut statim in principio comitiorum Rex alios surroget. Ea ex re Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium, in primo accessu ad Regem, tradit catalogum Dignitatum & Magistratuum, in conclavi Nuntiorum antea conscriptum. Quando igitur Regi volupe est, omnes vel plerasque vacantes Dignitates redintegrare, jubet duos catalogos confici, alterum Dignitates Regni, alterum Lithuaniæ continentem, eosque præsentibus Nuntiis, ut ad notitiam eorum veniant, Cancellarii & Regni & Lithuaniæ prælegunt custodiuntque. Isti, quibus tales contigerunt Honores, commodo tempore Regi publicas in Senatu agunt gratias, & gratum

Judiciis Comitialibus intersunt, et circa conferendas Dignitates vacantes quid agant.

con-

conteſtantur animum, ſtantes ſuo loco; quidam etiam ante ipſum thronum hæc pietatis & devotionis edunt teſtimonium. Penè præteriiſſem, quod cum Reges per Cancellarios Ordines Pruſſiæ convocant ad comitia Generalia Regni, ſimul monentes, ut prius conventum Generalem Mariæburgi vel Grudenti celebrent, huic certum conſtituere ſoleant diem, quem quidem Pruſſi exactè obſervant, & loco conſveto congregati, Legatum Regium excipiunt honorificentiſſime. Si vero accidit, ut tempore Interregni cancellaria Primatis idem imitetur, tunc Pruſſi, demonſtraturi, quod Epiſcopus Varmienſis vices Primatis in Pruſſia expleat, alium diem eligunt, & per eundem indici curant. Neque tacendum, quod, cum fortè cancellaria Regni, vivo Rege, alium locum, quam quem ordo tangit, in Literis Vniverſalibus ſcripſerit, ubi conventus Generalis Pruſſicus ſit celebrandus, eo in caſu Pruſſi legitimum locum ſubſtituant, & hunc errorem ipſi corrigant atque emendent, pro Juribus ſuis antiquis & conſvetudinibus. Cæterum conf. LENGNICHII *Hodierna Reipublicæ Prutenæ ſub Sereniſſimi Poloniarum Regis Imperio facies;* nec non Diſſertat. *De Pruſſorum Comitiis.*

Litteras Burgraviales ad Civitates majores Pruſſiæ expediunt.

VII. Hæc ipſa Pruſſia me manuducit ad enarrandum quædam de Burggraviis Regiis civitatum Majorum. Sunt quidem in Polonia etiam Burggravii, quorum alii dicuntur Caſtrenſes, alii Arcium Curatores; & talium in Arce Cracovienſi olim fuiſſe decem, affirmat CROMERVS, qui pacis & belli tempore nocturnas & diurnas excubias curant *Deſcript. Polon. L. II. p. 160.* In Pruſſiæ autem civitatibus Majoribus, quæ nullas arces habent, eorum alia eſt ratio. Poſtquam enim Pruſſi Ordinis Teutonici intolerabile & injuſtum excuſſerant jugum, & ſponte Regi Poloniæ Caſimiro, anno 1454. ſeſe dederant, certis ſub conditionibus mutuis, quæ in Privilegio Incorporationis & Sponſione reciproca leguntur; ab hoc ipſo Rege ſtatim mutatio Regiminis eſt facta in Pruſſia, ſic ut Gubernator, Palatini, Caſtellani, Capitanei, & in civitatibus Majoribus loco Commendatorum Ordinis ſeu Compthuren/ conſtituerentur Burggravii, more Germanico, qui, licet nullæ arces ſeu Burge fuerint, ſed dirutæ & deſtructæ Thorunii, Elbingæ & Gedani, in memoriam tamen earum ſic appellati ſunt. Hi nomine Regis pacem publicam defendunt, unde olim Burg-Friede/ id eſt, pax ex arce, in Germania & Pruſſia; violentos turbatores ejus coercent per Friedens-Geboth auflegen/ ſeu mandant ſub comminatione pœnæ, ut tranquillè & pacifice vivant, imo puniunt civiliter, non autem criminaliter, quod ad totum Magiſtratum pertinet, ita tamen, ut ſi capitales pœnæ ſint exequendæ, Burggravius Regius in Judicio Scabinali, ubi ſententiæ publicantur & præleguntur, præſens & Præſes ſit; Judæos ad certum tempus recipere poſſunt in urbes, nullas tamen lites inter Chriſtianos & Judæos decidant, ſed per Judicem ordinarium id fiat; Primum locum inter membra Magiſtratus obtineat, etiamſi non Præconſul; Bonorum caducorum & naufragorum pro Regio Fiſco curam gerat, quod tamen poſtea per Privilegia Regia mutatum & Fiſco civitatum eſt conceſſum; nec non aliis gaudeat Juribus & prærogativis, quæ CONSTANTINVS a TREWEN SCHROEDER in *Jure Publico Dantiſcano L. II. lit. ʒ.* docuit. Conf. Schützius in Chron. Pruſſ. fol. 203. Cromerus l. c. L. 27. Neugebauer in Hiſt. Polon. L. VI. pag. 387. Quotannis igitur Magiſtratus, ante Electionis annuæ diem, quatuor membra ſui ordinis Regi repræſentat, qui pro arbitrio ſuo unum ex his eligit, & per Literas Burggraviales ex cancellaria Regni miſſas, denominat; Magiſtratus vero Electionis die proclamari & publicari curat. Quantum igitur in hac conferenda illuſtri Dignitate, valeat ſvadens auctoritas & commendatio Cancellariorum, quivis intelligere poteſt. Sed hæc tantum de Thorunenſibus Burggraviis intelligi volo; Elbingæ & Gedani differunt Jura eorundem.

Homagia recipiunt a Civitatibus Majoribus Pruſſicis.

VIII. Gaviſæ ſunt præter hæc etiam Pruſſiæ civitates Majores honore, nominatim Thorunium, poſtquam Jus & conſvetudo per Privilegium Incorporationis acquiſitum, ipſi præſentibus Regibus Poloniæ fidelitatem jurejurando ſolenniſſimo promittendi, poſt fata Alexandri Regis ſepoſitum & mutatum, ab Vladislao IV. miſſo Legato Supremo Cancellario Regni & Epiſcopo Culmenſi, Reverendiſſ. Illuſtriſſ. & Excellentiſſimo Domino Jacobo Zadzicz, anno 1634. d. 2. Octobr.

2. Octobr. nomine Regis, hoc fidei teſtimonium dederit. An. 1649. d. 12. April. Johanni Caſimiro Regi, per (S. T.) Dominum Andream Leſzczynſki, Epiſcopum Culmenſem & Procancellarium Regni. An. 1670. d. 3. Januar. Michaeli Regi per (S.T.) Dominum Andream Olſzewſki, Epiſcopum Culmenſem & Procancellarium Regni. Anno 1676. d. 25. Junii, Joanni III. per (S.T.) Dominum Joannem Wyzga, Epiſcopum Varmienſem & Supremum Regni Cancellarium. A. 1698. d. 11. April. Auguſto II. per (S.T.) Georgium Albrachtum de Dœnhoff, Supremum Regni Cancellarium & Epiſcopum Przemislienſem. Juramentum in Herburti Statut. fol. 228. legitur; hoc vero Sacramentum germanice prælegitur & repetitur a Magiſtratu, Scabinis & Tertio Ordine in conclavi Senatorio præſentibus, & a civibus in foro, vel areâ Curiæ ſtantibus, præmiſſis Orationibus Latinis a Legato Regio, & quodam Conſule vel Syndico. Quo in caſu Literæ credentiales (more recepto loquendi) in cancellaria Regni exarantur, Regiæ manus ſubſcriptione & Sigillo Regni corroborantur. Cf. noſtram Hiſtoriam Interregni & comitiorum in Pruſſia, anno 1733. §. 41. Quanquam etiam alias perſonas illuſtriſſimas hoc functas eſſe munere, Hiſtoria teſtetur.

Commiſſarios ſeu recuperatores conſtituunt. IX. Quid de Commiſſionibus, (ut loquimur) ſeu Judicio Recuperatorio, a Rege per Cancellarios conſtituendis in Polonia extra lites de terminis ſeu finibus Bonorum Regalium, diviſione inter fratres & proximos &c. juris & uſus ſit, non hic exponam, ſed ejus loco, quæ LENGNICHIVS *loc. cit.* §. *86. p. 115.* propoſuit de Juribus, quæ ſibi Pruſſia vindicare laborat, repetam ſequentia: Interdum antequam cauſæ in Foro ſuo judicantur, Recuperatores (Commiſſarios vocamus) dari ſolent. In conſtitutionibus Terrarum Pruſſiæ ſpopondit Rex Sigismundus I. ſe Commiſſarios ſive Judices delegatos, non deputaturum in cauſis ad Judicium Terreſtre ſpectantibus, & minus in eo jam pendentibus, niſi per Appellationem ordinariam a ſententia definitiva ſeu interlocutoria jam lata, ad Tribunal Regium devolutæ fuerint, exceptis cauſis limitum Bonorum Regalium, & diviſione fratrum & proximorum. In cauſis, quæ civitatum Jurisdictioni

ſubſunt, non poſſunt Recuperatores conſtitui, priusquam ad Regium Judicium provocatur, ſecus ordo Judiciorum turbaretur, quod ne fieret, ſæpe Ordines Pruſſiæ curarunt. Aliter dicendum, ſi civitas aut ejus Magiſtratus in Jus vocetur; tum enim in ipſo actionis initio Recuperatores dari poſſunt, ſalva tamen ad Regiam Majeſtatem appellatione. Ad hoc tamen Ordines intenti fuere, ne Judicium Recuperatorium id, quod Juribus Privilegiisque adverſum, ſtatueret, & ſi quando factum, ut irritum haberetur. Hæc cauſa, quare imperante Sigismundo Auguſto, Gedanenſes conſtitutionibus Karnkovianis, & Thorunenſes anno 1617. Decreto Recuperatorum pro Dominicanis Monialibusque, qui ibi degunt, lato ſtare noluerint. In Inſtructione ad comitia Electionis an. 1669. & 1674. petunt Ordines, ne Commiſſiones in Terris Pruſſiæ, contra eorum Jura atque Privilegia ordinentur, & ut, quæ hactenus in præjudicium earundem ordinatæ, nullitatis vitio ſubjaceant. Hoc etiam poſtulatum, ut ſi non omnes, potior tamen Judicum delegatorum pars, indigenæ ſint; quod tum aliæ, tum allegatæ modo Inſtructiones teſtantur. Idque non tantum fit, ut extranei negotiis Provinciæ excludantur, ſed & quod major de Indigenis perſvaſio, ad normam Legum receptarumque conſvetudinum acturos. Hinc Johannes Caſimirus in Reſponſo Ordinibus Terrarum Pruſſiæ, d. 12. April. anno 1668. dato promiſit, in Commiſſionibus, quæ ſecundum Jura formabuntur, numerum Indigenarum, uti in materiis concernentibus Pruſſiam, pro Commiſſariis aſſignari mandaturum. Cum anno 1710. in conſilio Magno Varſavienſi Judices delegarentur, qui in facta civitatum Thorunenſis & Gedanenſis inquirerent, Ordines in Reſponſo Legato Regio in conventu Mariæburgenſi, anno 1713. dato, Commiſſiones iſtas in præjudicium principalis Privilegii Provinciæ hujus, ſcilicet Incorporationis, omnes Commiſſiones ex crudo vetantis, conſtitutas dicebant, & ne eædem in convulſionem prædicti Privilegii Incorporationis effectui darentur, humillimis precibus flagitabant. Ac jam a. 1712. Nuntiis ſuis ad comitia commendaverant, ut pro omni poſſe operam ſedulo navarent, quo Commiſſiones iſtæ caſſentur. De his tamen diſſentiendi locus & poteſtas relinquitur.

X.

Senatus-Consilia dirigunt.

X. Quia Cancellarii ſunt perpetui Conſiliarii Regis, ſæpê vero contingat, ut comitia rumpantur, ubi non ſolum Rex cum Senatoribus conſilia init, & inter alia de termino futurorum comitiorum deliberat, verum etiam a Republica XXVIII. reſidentes Conſiliarii eliguntur ad latus Regis, quorum quidam per vices Regem conſiliis adjuvant, adeoque etiam extra comitia conſilia ſunt ineunda & expedienda: ex his patet, quæ negotia gravare ſoleant Cancellarios quotidie ferè in Aula. Vt vero de Senatus-Conſiliis, in quibus Rex per Cancellarios deliberanda proponit, & quorum rationes in ſubſequentibus comitiis a Nuntiis Terreſtribus urgentur, ut reddantur per conſtitutiones ann. 1576. 1588. 1607. 1641. 1662. De his Senatus-Conſiliis, quo clarius cuivis, hæc fortè legenti, conſtet, ſummo mihi libertatis, ut CHWALKOWSKI *loc. cit. pag. 196.* dilucidem verbis: Sunt, inquit, duplicia; Nonnulla oretenus, alia per literas expediuntur. Vt igitur in Republica non tantum rectè dictorum conſultorumque, ſed rerum geſtarum quoque memoria ſervetur, & tam Regibus, quam Senatoribus contra diffidentias & ſuſpiciones civiles remedium quæratur, omnia iſthæc Senatus-Conſulta inſcribuntur Libris, & quidem cancellariæ Regni, per Secretarium Majorem, vel eo abſente per Referendarium; Lithuanica per Referendarium vel quemcunque Notarium connotantur. Primo debet occaſio & res, de qua conſilium ſuſcipitur, deſcribi, & poſtea breviſſimè addi, quale quisque dederit conſilium per literas ad iſtam propoſitionem, & ex quibus rationibus; denique quomodo quis ex præſentibus votum ſuum expedierit, & quibus rationibus ſententiam ſuam ſtabiliverit, & quale denique ſteterit concluſum. Quilibet ex D. D. Senatoribus præſentibus tenetur ſententiam ſuam in libro iſto ſubſcribere, abſentium vero literæ, in vim teſtimonii adſervari debent, juncta Puncta ann. 1632. ad caſtrum Varſavienſe porrecta. Ad Conſilia Bellica cum iidem Cancellarii adhibeantur; facile erit cuivis cognoſcere, quantum ſufferre debeant onus negotiorum.

XI. Re-

Proficiſcentium Regum extra Regnum comites ſunt.

XI. Reges Poloniæ, ſi excipias eos, qui alia quoque Regna gubernarunt, extra Regnum olim eſſe profectos, vix reperitur in Hiſtoricorum libris. Et ſi eſt factum, ſine dubio cum conſenſu Reipublicæ, & forte etiam pro arbitratu ſuſcepta fuere itinera. Sigismundus III. certe in Sveciam profecturus, conſentientem habuit Rempublicam in comitiis Generalibus. Conf. LVBIENSKI Profectio Sigismundi III. in Sveciam &c. Oper. fol. 8. ſqq. Poſt clandeſtinum autem diſceſſum ex Regno Henrici Valeſii, omnibus Pactis conventis ſuccedentium Regum, quædam circa profectionem inſerta ſunt. Speciatim autem Anno 1717. in Articulis Pacificationis §. 6. legitur: Non minus Illuſtriſſimi Cancellarii & Procancellarii Regni & M. D. Lithuaniæ eam pro ſolita vigilantia ſua attendentium, de Jure conceſſam, habebunt, ne unquam bellum offenſivum, inſcia & inconſulta integra Republica inſtituatur, tum ne S. R. Maj. quoties Eidem poſt expedita quolibet biennio comitia Generalia, absque præjudicio negotiorum gravioris importantiæ Rempublicam concernentium, in Saxoniam proficiſci placuerit, ultra tres menſes quolibet anno, vel quolibet biennio, non computando tamen tempus viæ, inſuper ſalvo uſu conſtitutionis Lublinenſis, Anni 1703. fol. 19. in caſu neceſſitatis reparandæ ſanitatis, ibidem diutius privando, præſentiæ Suæ ſolatio expectationem Reipublicæ immoretur, neque Vacantias ibidem diſtribuat, conferendas non niſi in Polonia: alias in tali caſu informandus erit Celſiſſimus & Reverendiſſimus Princeps, Primas Regni, & ipſi, ſi alicui vel aliquibus eorum lateri Regio ex obligatione debiti obſequii aſſiſtere contigerit, in tali caſu redire in Poloniam tenebuntur. In Pactis conventis feliciter imperantis Regis Auguſti III. §. 63. hoc eſt confirmatum: Et quoniam Electoratus Saxoniæ, quem hæreditatis Jure poſſidemus, propter ingruentes Status ejus neceſſitates, reſidentia Noſtra in viſceribus ſuis carere non poteſt; idcirco ex conſenſu Ordinum, ſecundum conſtitutionem Anni 1717. habito reſpectu conſtitutionis Lublinenſis A. 1703. abitum Noſtrum & commorationem in illo regulabimus: Privilegia autem & Expeditiones publicas ibidem nemini dabimus, ſed omnia

G usque

usque ad reditum Noſtrum in viſcera Regni, vel ejus fines, differemus, exceptis Militaribus & Spiritualibus. Verum enim verò noſtra ætas didicit, talia quidem conſtitui, ſed non ſemper obſervari poſſe exactè. Cæterum ſi proficiſci placet, alteruter Cancellariorum, ut Regem ſequatur, conſvetudinis eſt, & Supremo Cancellario ſequente, Procancellarius Judicia Aſſeſſorialia exercet per ſpecialem diſpoſitionem Regis Sereniſſimi. Conf. quæ ſupra monita ſunt, §. 17. Num. I.

In expeditione generali bellica Regem comitantur.

XII. Quando Regi firma utenti valetudine neceſſe eſt pro amore erga Reipublicæ ſalutem, ut, poſtquam ab ipſo ex cancellaria cum Sigillo Regni, per Literas reſtium Expeditio Generalis Bellica eſt indicta, ad caſtra proficiſcatur contra hoſtem patriæ infeſtum, Cancellarii, tacentibus inter Arma Legibus & Judiciis, comites Regis eſſe ſolent, ut Michaele regnante Olſzoxius teſtatur in Epiſtolis à ZALVSKIO collectis, Tom. I. fol. 470. 485; licet per Legem antiquam in conſtitutione A. 1655. fol. 6. renovatam & corroboratam, quoad munia militaria armatorum obeunda, ab expeditione hac ſint exempti, niſi ſimul Duces Exercituum exiſtant, ut illuſtre præprimis exemplum Zamoſcii probat ad perpetuam nominis ſui gloriam. Exſtitiſſe verò præter hunc Zamoiſcium non paucos inter Cancellarios olim, qui pro patria ſangvinem profundere, fortitudinemque in prœliis poſterorum memoriæ tradere voluerint, infra de Singularibus Cancellariorum quædam additurus probabo.

Munia circa conferenda Feuda.

XIII. Curlandiæ Ducatum & Terras Lauenburgo-Bütovienſes dum Rex Poloniæ in clientelam conferre ſingulari Duci & Domui Electorali Brandenburgicæ hactenus eſt ſolitus, placet ceremonias ſolennes, quibus hæ Inveſtituræ fiunt, ex CHWALKOWSKI ratione Ducatus Curlandiæ inſerere. Vide inter Documenta Lit. D. De Terris Lauenburgo-Bütovienſibus conf. ZALVSKI *Epiſtol. Tom. I. fol. 218. 229. 252. 275.* ſqq.

XIV.

Si Reges Poloniæ creantur Equites ordinum ab exteris, quid eorum officii, vel ſi ipſi Reges creant Equites Ordinis Aquilæ Albæ.

XIV. Primus quod fuerit Rex Michael, qui Anno 1669. d. 6. Octobr. diſſvadente maximâ parte Senatorum, ſe inter Equites Aurei Velleris recipi voluit, CHWALKOWSKI *loc. cit. pag. 57.* paucis enarravit, ceremoniaſque quaſdam connotavit. Conf. ZALVSKI *Epiſtol. Tom. I. fol. 185.* ſqq. In altero autem exemplo Regis Joannis III. Equitis Spiritus Sancti Ordinis à Rege Galliæ creati, quia ſimulatque officia & munia Cancellarii propoſuit, copioſior eſt CHWALKOWSKI *loc. cit. pag. 559.* & meretur, ut hoc loco ejus relegantur verba inter Documenta ſub Lit. E. Regem Poloniæ poſt coronationem creare Equites auratos, notum eſt; utrum verò ſingularem Equeſtrem Ordinem, prout exteris in uſu eſt, & nominatim Aquilæ Albæ, condiderit Lechus I. de eo certant inter ſe invicem auctores Artis Heraldicæ. Prodiit Anno 1730. liber Latinus, poſtea Polonicè verſus, hoc exornatus titulo: Adnotationes Hiſtoricæ de Origine, antiquitate, excellentia heroici ac celeberrimi in Regno Poloniæ Ordinis Equitum Aquilæ Albæ, per Sac. Reg. Majeſt. Orthodoxam, Auguſtum II. e diverſis revolutionibus vindicati, nec non circa initia præſentis Seculi ad ampliſſimum præcipui honoris ſplendorem intra & extra Regnum ſublimati, auctore J. Frider. S. R. I. COMITE IN KODEN SAPIEHA. Acceſſit corollarium, celebriores in Chriſtianitate Ordines nunc vel olim florentes ſuccinctè enumerans. Coloniæ apud Adamum Cholinum in 4to. Verſio Polonica veneratur auctorem, Principis Sapieha, auctoris hujus libri patruelem, Dnum. ADAMVM CHODKIEWICZ, Staroſtam in Bluden, Daugiel & Wielon. Varſaviæ 1730. in 4to cum figuris. De quo tamen non lubet ferre judicium, nec licet. Quicquid ſit, ſufficit Regem Auguſtum II. glorioſiſſimæ memoriæ anno 1705. introduxiſſe, & æqualitatem ſeu coæquationem Nobilitatis ita temperaſſe, ut nemo querendi vel ſuſpiciones fovendi juſtas habeat cauſas, & poſtea hujus conditoris memoria poſteritatis ſempiternæ memoriæ ſit commendatum reverentiſſimè in nummo eleganti.



Quotiescunque igitur five Equites Aurati poſt coronationem, ſive Aquilæ Albæ creantur, toties Cancellariis & cancellaria opus eſt. Tacitus præterire non poſſum, Regem Vladislaum IV. Ordinem Equeſtrem Immaculatæ conceptionis Mariæ inſtituere voluiſſe, & a Pontifice Maximo Vrbano VIII. anno 1634. (Gryphius 1637.) confirmationem obtinuiſſe; ſed hoc propoſitum poſtea interruptum. Conf. CHWALKOWSKI & GRYPHIVM de *Eccleſiaſticis & Secularibus Ordinibus Equeſtribus*, ſive von Geiſtlichen und Weltlichen Ritter-Orden, *pag.* 320. ſq. ubi quamplurima Cancellariorum munia ſunt in Articulis. Inſignia hujus Ordinis Equeſtris ignoravit fortè Gryphius; ideò ex Chwalkowſki pag. 563. cognoſci poſſunt, nec non in allegato Libro Comitis Sapieha.

In Regum abdicatione ſp ontanea.

XV. Triſtis & rarus cum inciderit caſus, ut anno 1668. Joannes Caſimirus Rex ſe ſpontè abdicarit Regno, quid Cancellarii in eodem egerint, ZALVSKI in *Epiſtol. Tom. I. fol.* 51. ſqq. verboſe retulit, ut & CHWALKOWSKI *p.* 7. ſq. nec non ZALASZOWSKI *f.* 100. ſq.

Conſiliis privatis interſunt Regis.

XVI. ZALASZOWSKI *loc. cit. fol.* 421. docuit quædam hic oblivione non tegenda, nempe: Regem conſilia cameralia & ſecreta non poſſe capere, ſed ſemper debere materias proponere per Cancellarios utriusque gentis, & iſtas cum Reſidentibus ad latus ſuum decidere. Conſtit. an. 1669. tit. de Secretis conſiliis. Poteſt Rex ad

ad nativam lingvam ſuam propter conferentias privatas habere unum Secretarium nationis Polonæ à Dominis Cancellariis utriusque gentis, qui Reipublicæ jurare debet juxta rotam Secretariorum Regiorum. Conſtitut. ead. Tit. O Pieczęci. Neque non huc pertinent quæ Idem fol. 472. retulit: Referendarii cum cancellariæ Officialibus cauſas Teutonicales cum Nobilibus intervenientes audire & partibus præſentibus Regi referre debent. Conſtitut. 1550. ex Herburto. Iidem Referendarii Judiciis Relationum præſente Rege adeſſe poſſunt, ibidemq; poſt Senatores & alios Officiales Majores locum & vocem conſultativam habent. Przyluſius fol. 58. Conſtitut. 1538. 1569. fol. 181. Nec non terminata Decretorum comitialium ſubſcribere & ad Cancellarium remittere debent.

Legati ſæpe fuerunt.

XVII. Contigit ſæpe, ut Cancellarii munere Legatorum ad exteros Principes ſint functi, varia ob negotia Regni & Regis expedienda; id quod Szydlovicius, Tomicius, Dembinius, Maciejewius, Strelcius, Craſinſcius, Koniecpolſcius, Przerembicius, Laſcius, Olſzowſkius & alii, exemplis ſuis & immortalibus laudibus ex iis Legationibus ſibi acquiſitis comprobant. Conf. NEVGEBAVER *Hiſt. Pol. L. VI. & VII. pag.* 398. 559. & zur Horſt *l. c. pag.* 421.

Cauti ſunt circa Reginæ Cancellarium et Pacta Conventa obſervanda

XVIII. Quia Regina peculiarem habet Cancellarium, & facilè fieri poteſt, ut Regni negotiis ſe immiſceat, in præjudicium Regni Cancellariorum, nec non ratione conferendarum Dignitatum, maritus Rex capiatur blanditiis & aliis fœminarum artibus; quapropter poſt Johannis III. obitum, Pactis conventis Auguſti II. Nro. 12. fuerant inſerta hæc: Cavemus pro conſorte Noſtra, quod ſe non immiſcebit in negotia Status Reipublicæ per ſe, vel per ſubordinatas quasdam perſonas, & a promotionibus abſtinebit. Promotiones quoque per fœminas aulæ & per perſonas exteras, neque per intimos cubicularios Noſtros, cujuscunque nationis exteros admittemus, ſed juxta præſcriptum Jurium antiquorum omnia faciemus. Super quo invigilare Domini Cancellarii, Marſchalc & Succamerarii Regni utriusque gentis, & deferre Reipublicæ tenebuntur; Nuntii autem Terreſtres in comitiis circa collationem & diſtributionem

 Va-

Vacantium, facultatem monendi habebunt. No. 13. porro legitur: Spondemus omnibus Statibus Reipublicæ, quod Officia Majora & Minora, per Privilegia ſuper uno Officio Terreſtri in Regno, M. D. Lith. & annexis provinciis nemini dabimus, neque ante actualem aſcenſum unius alteri conferemus. Ideo Metricantes in Acta Metricæ Regni utriusque gentis Privilegia non ingroſſabunt, nec una cancellaria tam Regni quam M. D. Lithuan. alteri communicabit. Quæ ſpoponderit in præſenti Feliciter Regnans Auguſtus III. in Pactis conventis a LENGNICHIO illuſtratis perpetuo Commentario, notum eſt. Patet ex his & aliis in medium prolatis, quam adtenti eſſe debeant ſoleantque Cancellarii ad Pacta conventa Regum, & ſi quid forte neſcius, vel non ſatis reminiſcens eorundem, Rex agere ſecum conſtituerit, contra eadem aliaque Jura Publica Regni, quod conſcientiæ ipſorum ſit, & providæ curæ pro Salute patriæ, Regem monere, & a propoſito prudenter & reverenter deflectere animum ejus. Quamobrem exactam notitiam Pactorum conventorum omnium Regum a tempore Henrici Valeſii, cum ſemper in recens electi confirmentur anteceſſorum; præterea Juris Publici & Privati, Conſvetudinum, Hiſtoriarumque ſibi comparare divina quadam memoria & indefeſſa experientia, teneantur Cancellarii, patet; ne contra eadem Sigillis Regni utantur, & famam ſuam atque exiſtimationem lædant, opprobriaque in comitiis Generalibus a Nuntiis Terreſtribus, non circumſcripta gaudentibus libertate loquendi & cenſendi, audire habeant neceſſe.

Providi ſunt circa matrimonium Regis.

XIX. Nullo in Regno Europæ præter Regnum Poloniæ obtinet conſvetudo Legibus confirmata, ut Rex ſine ſcitu & adprobatione Ordinum, Sponſam atque Conjugem ſibi eligere pro lubitu non debeat. Conf. ZALVSKI *Epiſtolar. Tom. I. fol. 209. 220. 265. 429.* Quantam ergo in ſe incitaverint invidiam & obtrectationem quidam Cancellarii horum clandeſtinorum conſiliorum matrimonialium participes, ſvaſores & executores, exempla triſtioris recordationis, Gembickii, Zamoiſcii, Olſzovii & aliorum docent; Succeſſores in cancellariatu admonentia, ne plus Regi quam patriæ placere ſtudeant.

XX.

Scipiones præferunt Regi, abſentibus Mareſchalcis etc.

XX. CROMERVS *l. c.* SARNICIVS in *Statut. fol. 322.* retulerunt, quod Cancellarii, abſentibus Mareſchalcis, ſcipiones Regi præferant; nec non, præſertim ſi ſit perſona Spiritualis, Clericos in Aula exiſtentes, & iſtos, qui Muſicam artem tractant, a Cancellariis dirigi & curari. Conf. HARTKNOCH. *L. II. cap. 3. §. 18. pag. 497. ult. edit.*

Sedes nondum infulati.

XXI. ZALASZOWSKI *l. c. fol. 139.* hoc quoque habet: Si Spiritualis ante infulam adeptam Sigillo potiatur, tunc ſedem inter Cancellarios Seculares obtinet, atque aureâ catenâ inſtar faſciæ pendenti utitur.

Servitores et Exempti.

XXII. Omnes Servitoratus, ut loquimur, (ſive Miniſteria Regia, non Regni, e. gr. Agentes, Factores &c.) & Exemptiones habentes pertinent ad ſolum Judicium & Jurisdictionem Supremi Cancellarii; iſto verò non exiſtente, ad Procancellarii.

§. XVIII.

In Interregno quæ munia? usque ad Electionem novi Regis.

Et hæc quidem, ſi non omnia, præcipua tamen & forte aliquando augenda Munia, Officia & Jura Cancellariorum vivo Rege, colligere & enarrare, plerumque ſtrictim, tentavi. Reſtat igitur, ut brevibus referam quoque, quæ ſint præſtanda in *Interregno*, poſt obitum Regis. Vbi quidem videntur Cancellarii quieſcere poſt exantlatos labores, atque otiari plane: quod omnes Literæ ex cancellaria Primatis expediantur, Judicia publica ceſſent, & multifaria negotia in Aula Regia, olim neceſſaria, ſint ſepoſita; ſed nihilominus ſatis oneris eſſe perferendum Cancellariis, iſte cognoſcet & fatebitur, quem non fugit, eos cum cæteris Officialibus Majoribus ſeu Magiſtratibus Supremis inter Deputatos a Republica ad latus Primatis eſſe, adeoq; omnia cum iſto moderari & dirigere ad ſalutem patriæ, periculoſiſſimo iſto tempore maximè curandam, ſolere conſilia. Speciatim cum ad comitia Electionis confluxerunt Ordines, Senatoribus in tugurio ligneo, Szopa appellato, congregatis, ut plurimum prælegunt Juramentum conſvetum; neque non electis ad Judicium capturale generale. HARTKNOCH. *pag. 276.* Non poſſum præterire, quod ZALASZOWSKI *l. c. fol. 139.* notatu judicavit dignum:

Poſt

Post abdicationem spontaneam Johannis Casimiri confœderatio Juramento erat ante electionem novi Regis sancita & constituta, ut nemo debeat admitti ad consilia & ad suffragia in Electione, nisi prius coram Deputatis ex Senatu & Equestri Ordine a principio Electionis electis, & coram Cancellariis utriusque gentis Juramentum præstiterit, a quo Juramento Deputati isti & Cancellarii neminem sub nexu ejusdem Juramenti non eliberent. Præter hæc, ut Mareschalcum Equestris Ordinis introducant in Senatum Cancellarii, deficientibus Mareschalcis ordinariis, non rarò contingit. HARTKNOCH. *l. c. pag. 266.* Sententias suas de eligendo Rege dant, & Diploma Electionis ordinariò unà cum cœteris subscribunt. Singulare igitur est, quod comperi, Diploma Michaelis ex cancellaria sine Subscriptione Cancellariorum fuisse: quidque, ut brevibus dicam, Cancellariorum auctoritas circa eligendum Regem valeat, satis ex Historia Electionis Michaelis cognosci potest, quam descripsit ZALVSKI in *Epist. Tom. I. Part. I. Epist. 17. fol. 117.* ex qua fortè causa omissæ Subscriptionis erui poterit; possum tamen falli in conjectura.

§. XIX.

Post Electionem quæ munia?

Si præsens est electus Rex, ut Vladislaus, Johannes Casimirus, Michael & Johannes III. statim ipsi præstò sunt Cancellarii, & post præstitum Juramentum a Rege, se Pacta conventa observaturum, non solum Electionem per Literas nomine Electi scriptas & Sigillo Natalitio Regis obsignatas exteris notam fieri Principibus curant; in negotiis verò Regni, si quædam exarandæ ante coronationem Sigillo Cameræ, quod in eorum est custodia, muniunt; sed etiam cætera ad coronationis solennitates necessaria juvant præparare. Hic repetenda & inserenda est Historia, quæ accidit, post Electionem Regis præsentis Vladislai, die 14. Nov. 1632. quam PIASECIVS in *Chron. fol. 455.* tradidit memoriæ narrans: Insequenti die, qui fuit Dominicus, Electus Rex Vladislaus ad Templum primarium S. Johannis Baptistæ, Varsaviæ, cum frequenti Senatorum Nobiliumq; comitatu descendit ex arce Varsaviensi, peractoq; ab Archiepiscopo solenni sacrificio, accessit ad altare majus: ubi cum Georgius Ossolinski,

linski, Præfectus Thesauri Minor, commissam sibi gratiarum actionem pro Rege electo perorare vellet, & Cancellarii Regni functionem hanc muneris sui propriam concedere ipsi nollent, lis ista fuit composita tali modo, ut iste ante inchoatum Actum tradendi decreti Electionis, uti privati adhuc Principis privatus Minister sermonem suum expedierit; Rex verò Electus genibus nixus jusjurandum eâ forma, qua istud Legati ipsius in consessu comitiorum præstiterant, Cancellariis Regni & Lithuaniæ præloquentibus, clara voce enuntiavit. Quodsi verò Regi Electo extraneo mittantur obviam Deputati a Republica ad fines Regni, ob confirmanda jurejurando Pacta conventa, inter eos quod Cancellarii sint, & gratiam novi Regis statim sibi concilient, ex recentissima Historia electi Regis Augusti III. contestatur experientia. Literas convocatorias ad coronationis comitia expediunt Sigillo Terrestri Districtûs, in quo urbs, munitas. HARTKNOCHII *l. cit. pag. 309.* digna sunt lectu verba: Quando comitia coronationis habenda sunt, promulgatur ab Ordinibus peculiare Edictum sub sigillo Terrestri istius loci, unde mittitur. In ejusmodi Edicto Electio Regis omnibus notificatur: coronationi dies præfigitur: conventus provinciales sive comitiola, ut vocant, ad eligendos Nuntios Terrestres haberi jubentur: omnes etiam Vexilliferi ex singulis Palatinatibus & Districtibus, Regis defuncti funeri ut adsint, monentur. Vid. Acta Electionis Regum in Denunciationibus Regum electorum. Quoniam autem Rex jam electus est, ideo etiam partes ejus in convocandis ad comitia coronationis Ordinibus, non sunt nullæ. Vt enim Ordines in Edicto suo Electionem Regis omnibus denuntiant, diemque coronationis præfigunt: ita quoque Rex ipse Electus Electionem suam Ordinibus, aliisq; quorum interest, significat: cujus exemplum habemus in Rege Michaele, qui Electionem suam per Literas etiam Johanni Casimiro, qui se regno exuerat, significavit: de quo consuli potest Diarium Europ. continuat. XIX. pag. 560. (Tu confer L. B. ZALVSKIVM *l. c. fol.*) Postea etiam Rex Electus mandata ad comitia coronationis sub titulo Regis Electi, sigillo Terrestri impresso, extradit: ut observatum

vatum eſt poſt Electionem Vladislai IV. Johannis Caſimiri & Michaelis. Sed in Denuntiatione Ordinum de Johanne III. Electo conceſſum erat, ut Rex uteretur hac in re ſigillo camerali. Conf. ſupra §. XVII. Num. 3. in fine. Comitantur Regem Electum ad coronationem Cracoviam, ibidemq; Magiſtratui Regem ingredientem urbem ſolenniſſima gratulatione excipienti nomine Regis reſpondent clementiamq; pollicentur regiam. Et cum uſu hodie receptum, non verò ſemper nec olim, ut die coronationem præcedente ſine medio Rex Electus defuncti Regis funus ducat, Cancellarii ante ſepulcrum Regis die exequiarum in templo ſigilla argentea, quibus hactenus erant uſi, frangunt, &, ut ZALASZOWSKI *fol. 595.* addit, in ſepulcrum regium projiciunt. ZALVSKI *l. c. fol. 597.* illuſtrationis cauſa minimè tacendus eſt, qui: Is Regibus, inquit, poſt ultima viget honos, ut ad eorum emortuale buſtum, velut feralem ſcopulum, Faſces Honorarii, quibus prima aulæ curiæque Capita iis regnantibus effulſerant, frangantur, nec tam voce præfica parentet dolor, quam Inſignium mœſto in terras illiſu. Idem hic actum (in exequiis Johannis Caſimiri & Michaelis.) Fregere Munerum Illuſtres Teſſeras, quas iſtuc Proceres pro munere detulerant; Mareſchalci virgas ſeu ſcipiones honorarios, Regibus functis prodromos; Cancellarii regni annulos, ſeu prætoriana curiæ ſigilla, ad cippum regalem, etiam calce impacto peſſumdedére; ceu cum extinctis Principibus & Inſignium concideret decus, quæ nec lucem iſtis dare jam aliquam poſſent, nec viciſſim accipere. Anno 1734. d. 15. Jan. ad loculos Regum in Theatro ferali projecerunt fracta ſigilla Procancellarius & Supremus M. Duc. Lith. Cancellarius. Conf. Famam Europæam. Refero huc extraordinarium in his ipſis exſequiis, quod idem ZALVSKI *l. c. fol. 595.* retulit ſcribens: In funere Johannis Caſimiri & Michaelis (anno 1676.) Poma regni aurea cum honorario regni annulo prætulit Cancellarius Regni Johannes Leſzczynſki. Peracta coronatione Cancellarii nova accipiunt ſigilla, & Magiſtratui civitatis Cracovienſis in curia Juramentum Fidei altero poſt coronationem die præſtanti clavesq; portarum offerenti prævia oratione Jura-

Juramentum prælegunt, nomine Regis reſpondent, claves reddunt, nec non confirmationem Privilegiorum promittunt: cæterum ad comitia coronationis legitimè celebranda ſe accingunt, muneris ſui more ſolito memores. Memorabile eſt, quod peractam coronationem Supremus Cancellarius regni nomine Regis omnibus regni Ordinibus denuntiet, ſua manu ſubſcribens Diploma; id quod poſt coronationem Auguſti II. eſſe factum, ex ſubſequenti cognoſci poteſt monimento, in ZALVSKII *Epiſt. Tom. II. fol. 305.*

***Auguſtus**, DEI Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czernicoviæque &c. Nec non Hæreditarius Dux Saxoniæ & Princeps Elector.*

Omnibus in univerſum Regni Noſtri Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Spiritualibus & Secularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis, Capitaneis, Dignitariis, Officialibus, Judicibus ac eorum Vicesgerentibus, tum Proconſulibus, Conſulibus & quibusvis aliis Regni Noſtri Magiſtratibus, aut eorum Locum tenentibus, cæterisque aliis, cujuscunque conditionis hominibus, ad quorum notitiam hæ Noſtræ Literæ pervenerint, Sincerè & fideliter Nobis dilecti. Admirandam DEI T. O. M. in cujus manu ſunt omnia Jura Regnorum, nunquam ceſſaturi confitemur adoramusque bonitatem, dum ampliſſimis liberrimisque Inclyti hujus Regni Gentibus, poſt fata, Divæ Memoriæ, Sereniſſimi & Potentiſſimi Johannis III. Domini, Regis ſui immediati, digniſſimi per fortitudinis rectè factorumque magnitudinem immortali vita, luctantibus in Campo Electorali de eligendo renuntiandoque Rege, digito paternæ dextræ Perſonam Noſtram, tam remotam ab omni contractu ambitionis, quam contentam paternis ſuis hæreditariisque Ditionibus, oſtenderit ac exhibuerit. Valido itaque & præpotenti ejusdem Divinæ Voluntatis nutui nequaquam refragari poſſe cenſentes, poſteaquam collatis in Nos pronis univerſorum Sereniſſimæ hujus Reipublicæ Statuum ac Ordinum ſtudiis, liberisque ſuffragiis, ac publico applauſu in Regem, more ac inſtituto Majorum, in Comitiis Electionis ad Varſaviam, primum die vige-

vigesima sexta, demum postridiè die vigesima septima mensis Junii Anni praesentis, concursu viritim ac militanter, Terrarum, Districtuum & Palatinatuum, feliciter electi, proclamati ac repetitis vocibus renuntiati essemus, mox praestito inibidem pro Nobis absentibus, per Plenipotentiarium Nostrum super Articulos Pactorum Conventorum, in Ecclesia Collegiata Divi Joannis Baptistae, solenni Jurejurando, demum eodem a Nobismet ipsis in limitibus Regni in villa Piekary, in Ecclesia ejusdem Parochiali, una cum professione Fidei Sanctae Romano-Catholicae repetito, per solennem ac honorificam Legationem, publicum Electionis Decretum ac Instrumentum accipissemus, reliquum Nobis superfuit, ut ad praefixum Inaugurationis felicisq; Coronationis Nostrae tempus, iisdem invitantibus Oratoribus, Cracoviam iter maturaremus, ubi de more solenni, pridiè ante Actum felicis Coronationis, persolutis justis Serenissimo Praedecessori Nostro, postridiè nempe in Die Dominico, qui erat decimus quintus Mensis Septembris, in Basilica Divi Stanislai arcis Nostrae Cracoviensis praemisso & praestito prius ante Altare majus ex concepta formula, de servandis & manutenendis Juribus, Privilegiis, Libertatibus, Ecclesiasticis & Secularibus, privatis & publicis, Regni & M. D. Lith. Iuramento, Sacro Oleo uncti, & Regio Diademate, quo Reges Poloniae ab antiquissimo tempore coronari solent, ritu Catholico Romano, adstante & inspectante Senatu, Terrarumque Nuntiis ac pluribus Dignitariis, Officialibus & incolis Regni & M. D. Lith. exterorumque Principum Legatis, insigniti & coronati sumus. Qua quidem Coronatione Nostrâ, & Inauguratione ritè ac legitimè peracta, jam, quod Nobis & Reipublicae, universoque Orbi Christiano faustum ac salutare sit, DEO auspice, gubernacula Regni capessivimus, & Nos Regimini populorum Divinitus tradito accinximus, recepto jam a praesentibus Dominis Senatoribus, aliisque Dignitariis & Officialibus Regni & M. D. Lith. tum & Civitate Cracoviensi, compluribusque aliis Fidelitatis Iuramento. Quod ad notitiam omnium & singulorum deducendo, Sinceritates & Fidelitates Vestras, quarum interest, hortamur illisque mandamus, ut hanc Inaugurationem Nostram, Libertatum & Iurium factam a Nobis confirmationem, publicè in Civitatibus, Oppidis, Parochiis & Villis, diebus forensibus aut solennioribus, per praecones Literarumque harum in locis publicis affixionem, denuntiari & publicari, & in Acta Publica referri curent & faciant. Quod autem reliquum est, Sinceritates & Fidelitates Vestrae, intermissa Interregni tempore officia ac munera sua, praestito quam primum Iuramento, reassumant: Iudicia tam Terrestria, quam Castrensia Capitanealia causarum tam judicialium, quam Officiorum: Tribunalis itidem Regni ordinaria, ac etiam civilia, & alia qualibet, auctoritate & sub nomine Nostro ac titulo exerceant, omniaq; ea, quae vel de praescripto Legum, vel de more & consvetudine ad illorum officia pertinent, jam facere incipiant & exequantur, denique operam, ne Ius & Iustitia, quae Regnorum summa praesidia sunt & firmamenta, diutius intermissa jaceant atque negligantur, pro Gratia Nostra, officiorumq; suorum debito. Datum Cracoviae in Comitiis felicis Coronationis Nostrae, die XV. Mensis Septembris, Anno Domini 1697. Regni verò Nostri primo.

(L.S.) *Georgius Albrachtus Dönhoff, Episcopus Praemisliensis, Supremus Regni Cancellarius. Ad Mandatum Sacrae Regiae Majestatis, mpp.*

Idem esse factum a Johanne Lipski Episcopo Cracoviensi & Procancellario Regni, anno 1734. post coronationem Augusti III. docent Constitutiones comitiorum Pacificationis extraordinariorum, Dresdae edit. 1736. fol. 109.

§. XX.

Neque tacendi sunt planè reditus & fructus laborum, quibus fruuntur Cancellarii, ex omnibus litium decisionibus per Decreta expeditis in Assessoriali Judicio; Literis moratoriis, salvis Conductibus, privilegiis, diversis promotionibus, caeterisq; Regiae Gratiae documentis, confirmationibus privilegiorum & aliis; pertinetque huc, quod Olszowski in *Epist. 34. fol. 628.* a ZALVSKI edita scripsit: Ego, ut verum fatear, non accelerarem nimis in urgenda expeditione Bullarum Archiepiscopatus; multae enim utilitates dimisso sigillo regni deperibunt, quae in coronationibus Regum, privilegiorum confir- *Reditus.*

mationibus, & diverfis promotionibus, infigniter Cancellariis obvenire folent. Sed majoris momenti duco honorem coronationis regiæ Archiepifcopo Gnefnenfi competentem, deinde tranquillitatis publicæ: Gravis exorietur controverfia inter Epifcopum Cracovienfem & Cujavienfem, maximaq; fieret Senatus ac Nobilitatis Majoris Poloniæ oppofitio, cum Jus coronationis abfente Archiepifcopo, feu vacante Archiepifcopatu Gnefnenfi, non Epifcopo Cracovienfi ex Minori Polonia, fed primo Epifcopo ex Polonia Majori de jure & confvetudine competat.

§. XXI.

Secretarii Majores, quid?

Appendicis loco nominandi funt *Secretarii Majores*, in difcrimen cæterorum Secretariorum inferioris dignitatis, unus Regni, alter M. D. Lith. uterque Spiritualis. Appellantur Majores, quod admittantur ad quævis fecretiora confilia & expeditiones publicas, confciique fint omnium, quæ Cancellariis & Vicecancellariis panduntur, & ad vacantes dignitates & officia primum aditum habent. ZALASZOWSKI *l. c. fol. 752.* Præter hos *Referendarii* non funt tacendi, quorum alter Regni, alter M. D. Lith. unus Spiritualis, alter Secularis; dicti a referendo, quod caufas & negotia fupplicantium Sacræ Regiæ Majeftati proponant & refponfa regia referant; judiciales autem res ad eos non pertinent. Hi cum cancellariæ Officialibus præter hæc munia, caufas Teutonicales cum Nobilibus intervenientes audire & partibus præfentibus Sereniffimo Regi referre debent; Decreta comitialia fubfcribunt & ad cancellariam remittunt, exceptis cafibus quibusdam; ut alia taceamus. De *Regentibus* cancellariæ, qui partim ex ordine Seculari, partim Ecclefiaftico, & magnæ dignationis funt, ut & reliquis Officialibus, infra ex Parænefi Lubienfkii multa difci poffunt. RVDGERVS zur Horst *l. c. p. 17.* Quod autem, inquit, Vicecancellarii tum munus erat, ad primum Secretarium, quem Majorem vulgo vocamus, recidiffe fere videtur; cui cum alia privilegia tributa funt, tum ut tacitis Senatusconfultis præ

præ aliis folus intereffet, tributum. Eundem Cancellario utroque abfente, illorum vices, quemadmodum primis temporibus Vicecancellarius, more confvetudineq; fuftinere ferè folitum, meminimus. Cæterum, abfentibus Cancellariis, figilla aliis quoque quam Majoribus Secretariis, fed vetuftiffimis temporibus, fuiffe commiffa, DLVGOSSVS *L. XI. p. 583. edit. Lipf.* teftatur.

§. XXII.

Merita Cancellariorum in Remp. Litterariam, per Libros editos.

De meritis Cancellariorum Regni in rempublicam Litterariam perpauca commentaturus, eos intelligo, qui libris editis inclaruerunt in Orbe docto. RVDGERVS zur Horst *pag. 100.* duos nominavit; Vbi fplendet, inquit, inprimis Reverendiffimus & Illuftriffimus ANDREAS LIPSKI, Regni Poloniæ nuper Magnus Cancellarius; quam enim feliciffimè penna fua ufus fit, edocent *Obfervationes ejus Iuridicæ*, feræ pofteritati confecratæ. Idem *pag. 106.* Nullatenus præterire poffum ZAMOISCIVM, Magnum Cancellarium, qui mortuus per Librum adhuc fuperftes eft. Teftis ejus Hiftoricæ etiam Eruditionis Liber: *De Senatu Romano;* quo Tractatu pofterorum pofteros ad imitationem invitat. Lanfius quidem hanc gloriam ifti invidet, & Carolo Sigonio attribuit; attamen auctor Thuanus (Hiftor. L. 56. & 73.) Reinholdi Heidenfteinii, regii Secretarii, Commentarius de Bello Mofcovitico, Zamoifcio acceptos fert. Evolvi Thuanum, & Libr. LVII. p. 425. edit. Parif. in 8vo. 1608. hæc eum feciffe verba reperi: In eandem rem edita an habita fit, incertum, Oratio luculenta, à Joanne Sario Zamofcio, cujus nomen Libris Duobus de Senatu præfcriptum legitur; quos cum Caroli Sigonii effe, ab amicis accepiffem, confeffione a Viro modeftiffimo vix tandem extortâ, cum Bononiæ effem, rem ita fe habere poftea intellexi. Adeoque Rüdgerum non adjuvat Thuanus, fed potius refutat. In Libr. LXXIII. ad Ann. 1580. nihil legitur ad hanc rem pertinens, fi excipias, quod Rex Stephanus Zamoifcium Supremum Exercitus Ducem contra Mofcos conftituerit; Vt igitur

tur porro non elici possit, quod Rudgerus opinatur, non Reinholdum Heidensteinium, sed Zamoiscium esse auctorem Librorum *de Bello Moscovitico*. Cæterum legi merentur Braunius in Bibliotheca, de Heidensteinio agens pag. 51. De Zamoiscio autem, vel potius Sigonio, Struvius in Dissert. de Doctis Impostoribus, §. 39. adjecta ejusdem Introductioni in Notitiam Litterariam. Placcius de Pseudonymis & Anonymis, nec non Starovolscius pag. 73. RVDGERVS zur Horst pergit *l. c. p. 50.* scribere: Exstat Zamoiscii *Opus Legum & Institutorum Academiæ Patavinæ*, quod ante dispersum & corruptum collegit, ordinavit, recensuit, edidit, argumentum ingens, quantus erat futurus Patriarum Legum peritus, qui peregrinarum tantopere studiosus fuit. De quo tamen dicere non habeo. Quod adtinet ad ANDREAM LIPSKI à LIPE, sunt in eruditorum manibus Ejus *Centuria una & semissis Observationum Practicarum in Iudiciis Post-Curialibus Poloniæ;* variis in locis editæ. Nec non: *Decas Quæstionum de Immunitatibus Ecclesiasticis in Regno Poloniæ. Posnan. 1626.* & *Paris. 1627.* Juris utriusque scientiam undiquaque spirantes & demonstrantes. Conf. Braunium loc. cit. pag. 128. & Starovolscium pag. 27. de C. Illustrib. Script. Polon.

His addo III. GEORGIVM OSSOLINSKI, cujus VI. *Orationes in Legationibus* anno 1621. 33. 37. 45. 46. peroratæ, prodierunt conjunctè Gedani 1647. & admiratione afficiunt lectores. Conf. Braunium loc. cit pag. 145.

IV. STANISLAVM LVBIENSKI, cujus *Opera* conjunctim divulgata Antverpiæ 1643. Conf. Braunius, qui l. c. p. 68. omnes libellos in iis contentos recensuit.

V. ANDREAM OLSZOWSKI, qui per *Censuram Candidatorum Sceptri Polonici*, teste Neoburgo im Curieusen Hofmeister/ T. II. pag. 368. quantam judicii politici sibi acquisiverit copiam, satis docuit & evidenter. Conf. Zaluskii Epistol. T. I. fol. 134. Et cum Tra-

Tractatus de *Archiepiscopatu Gnesnensi ejusque Prærogativa*; qui in Zaluskii Epist. T. I. fol. 25. legi potest, hujus ipsius sit auctoris fœtus, omnes tanti Viri multifariam eruditionem & notitiam Historiarum admirantur. Conf. tamen Braunium l. c. p. 223. & censuram censuræ Candidatorum.

VI. ANDREAM CHRYSOSTOMVM in ZALVSKIE ZALVSKI, ob Epistolas Historico-Familiares, in quibus ab abdicatione Johannis Casimiri Regis usque ad annum 1711, Historiam recentiorem Polonicam est complexus; quamplurima revelavit arcana, Acta Publica & integra Scripta immiscuit. Conf. Prussiam Doctam seu Gelehrtes Preussen/ T. I. p. 94. T. II. p. 40. Continuirtes Gelehrtes Preussen/ Part. II. pag. 3. & Part. III. p. 1. sqq. Woitii Disput. de Incrementis Studiorum per Polonos & Prussos. Et licet Braunius l. c. p. 86. asperum tulerit judicium, demonstrabo tamen alio tempore, illud non fuisse limatum. Conf. quoque Pohlnische Bibliotheck/ p. 88.

VII. De JOHANNE de LASKO, ex cancellaria Regni, Archiepiscopo Gnesnensi, *Statuta & Leges Poloniæ*, jussu Regis Alexandri, edente & colligente: leg. Starovolsc. de C. Illustr. Pol. Script. p. 9.

VIII. PETRI WOLSCII Scripta & meritas laudes idem Starovolsc. l. c. pag. 20. enarravit doctissimè.

IX. PETRVS TOMICIVS, qualis quantusque Orator Eloquentiam probaverit speciminibus orbi erudito: idem Starovolsc. l. c. p. 17. retulit.

X. De JOHANNIS STEPHANI WYDZGA *Historia præcipuarum rerum tempore belli cum Svecis ab Anno 1655. ad Annum 1660. in Aula Regia Polonica gestarum*; conf. Braunium l. c. pag. 175.

XI. SAMVEL MACIEJOVIVS & JOANNES OCIESKIVS merentur, ut ex Braunio l. c. pag. 207. repetam hæc verba: Sigismundi Augusti Regis Epiſtolæ, Legationes & Reſponſa, ex Collectaneis H. de Huyſſen typis edidit J. B. Menkenius, J. V. D. Lipſiæ anno 1703. in 8vo. Quod Menkenius credere videtur, Scripta hæc fœtus ingenii Regis ipſius non ſunt, ſed ſunt collectæ ſchedæ Cancellarii ejus temporis, qui ad mandatum Regis in negotiis occurrentibus ſcripſit, & Polonicè per Regnum expedita, in Latinam Lingvam converſa, ſibi ſervavit. Nam hoc æqualitas ſtyli, & quod quædam, utpote Literæ Vocatoriæ ad comitia regni &c. originaliter omnino Polonicè ſcripta ab eadem manu Latinè translata fuerint, evidenter docet. Cancellarios autem priſcis iſtis temporibus, cæteris Secretariis at amanuenſibus raro eousque eruditis, ipſos ſcripſiſſe Epiſtolas & Inſtructiones Legatorum, vel ex Annal. III. p. 90. Orichovii conſtat, ubi inter laudes Samuelis Maciejovii, Epiſcopi Cracovienſis & Cancellarii Regni, ponit: Romæ præ omnium Regum epiſtolis Poloniæ laudem meruiſſe, quarum, inquit, utique hic Cancellarius fuit Scriptor. Huic autem Samueli ſucceſſerat Johannes Oſieſkius, a bona Latinitate ibidem p. 91. Orichovio laudatus: qui procul dubio harum Epiſtolarum auctor fuiſſe credendus. Nam adhuc anno 1563. idem Johannis Diploma Vnionis Ducatuum Sator & Oswiecin ſubſcripſit in Volum. conſtitut. p. 66. qui eodem quoque anno Herburti Statutum præfatione commendavit.

§. XXIII.

Familiarum Inſignia & Series. De Familiis & Inſignibus Natalitiis Cancellariorum ſi quis erudiri cupit, oculos & animum recreandi cauſa adeat OKOLSKI, PAPROCKI, NIESIECKI, cæteroſq; Artis Heraldicæ & Genealogicæ in Polonia Scriptores, qui ſatisfacient ejus cupiditati. Et quo facilius eos poſſit evolvere & inſpicere, ex NIESIECKI ***Korona Polska ſeu Corona Polonica***, libro exteris ferè ignoto, motus, quod quampluri-mos a Naramowſki de Signatoribus emendaverit errores commiſſos, quamvis & ipſe indigeat emendatione, Supremorum & Procancellariorum nomina, ſtirpes, & ex iis cognoſcenda Inſignia ab anno 1362. repetam. Sunt verò fol. 255. ſeqq. hæc inter Documenta & Augmenta ſub ſigno ☩ ☩ ☩

§. XXIV.

Singularia Hiſtorica de Cancellariis. Ad Singularia Cancellariorum refero brevibus: I. ***Fortitudinem bellicam*** Trambæ, Dembinii, Koniecpolſcii, Szczekocinii, Zichlini, Zamoiſcii, Zolkiewii, quorum honorificam fecit mentionem Rudgerus zur Horſt / l. c. L. I. cap. XI. pag. 259. II. ***Munificentiam erga Templa & Scholas***, Odrowanſcii, Strempinii, Zamoyſcii, Duninii, Schilowicii, Zolkiewii, Gembicii; de quibus copioſe idem auctor l. c. cap. XIII. pag. 347. egit. III. ***Infelicitatem ex invidia oriundam & magnitudinem animi in adverſis***, Odrowanſcii, Jaſtrombecii, Choienſcii, Maciejowii, Ocieſſii, Zolkiewii, Zamoyſcii, quorum fata in ejusdem auctoris libro legi poſſunt, L. II. cap. XI. pag. 819. ut taceam cæteras & extraordinarias virtutes animique dotes, quas pluribus eſt proſeqvutus verbis. Ego ſtrictim adnotabo: IV. hæc perpauca Miſcellanea: PADNIEWIO ſigillum Minus eſt ablatum furto; PETRVS SZCZEKOCIN & STANISLAVS ZOLKIEWSKI contra hoſtes dimicantes ceciderunt & perierunt; ZAMOYSCIVS Archiducem Auſtriæ Maximilianum duxit captivum; OCIESKI civitatibus Pruſſiæ liberum Exercitium Religionis Auguſtanæ Confeſſionis per privilegia a Rege Sigismundo Auguſto procuravit; JOHANNES SZEMBEK ſeveram tulit ſententiam ob Tumultum Thorunienſem 1724; ANDREAS OLSZOWSKI, primus Magiſtratui Gedanenſi, antiquitus conſvetum Titulum: Senatus Gedanenſis, anno 1661. interdicere conatus eſt. Conf. Lipinſki Epiſtolam, Sicilimenta quædam exhibentem in Zaluſki Epiſtolas pag. 68. Allegatus JOHANNES SZEMBEK primus Cancellariorum Eques Ordinis Equeſtris Aquilæ Albæ creatus ab Auguſto II. Rege, conditore ejusdem. ANDREAS CHRYSOSTOMVS ZALVSKI, mutatis rebus in Polonia,

lonia, per machinationes Regis Sveciæ Caroli XII. Dresdâ Romam miſſus ad Pontificem Maximum, rediit pro innocenti declaratus, ad Epiſcopatum ſuum Varmienſem, & anno 1709. a redeunte in regnum Auguſto II. priſtinam recepit Dignitatem ſupremi Cancellarii Thorunii. JOANNES LIPSKI, Epiſcopus Cracovienſis & Procancellarius, coronavit & unxit Auguſtum III. Regem feliciter hodie imperantem. Et quæ reliqua ex Hiſtoricorum monumentis poſſent erui & colligi, ſi nimis diffuſus & copioſus eſſe vellem, monitus a Catone de Re Ruſtica: Odi nimis diligentes; &: Manu non ſacco ferendum. Confer tamen L. B. ſi placet, inter Documenta & Augmenta, Lit. F.

§. XXV.

Ad finem properans, credo me initurum gratiam apud L. B. quod Lubienſkii Parænefin amicam, Thomæ Zamoyſcio, dum Regni Procancellarius renuntiaretur, datam, ex Operibus ejus fol. 214. ed. Antverp. anno 1643. in fol. coronidis loco recudi curaverim: cum multa contineat, moneatque, quæ ſeponere & omittere me oportuit. Conf. Lit. G.

S. D. G.

DOCVMENTA

ET

AVGMENTA.

Lit. A. A.

Joannes III. DEI Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ Czernichoviæq;.

Significamus præsentibus Literis Nostris, quorum interest, universis & singulis. Quia Nos quotidianis supplicationibus & querelis subditorum Nostrorum diversi Status, sexus & conditionis in Regno Nostro, Provinciisq; eidem annexis existentium, injurias & præjudicia ex pravâ quadam Iuri scripto ac continuæ omnium Subselliorum praxi contrariâ inordinataq; consvetudine in Iudiciis Nostris Regiis, circa acclamationem & judicationem Causarum & Actionum Forensium hucusq; observata prætendentium: cupientes de Suprema Auctoritate & ex vi Legum Publicarum, unicuiq; litigantium, suo ordine & sine respectu seu delectu personarum, debitam quantocius administrari & fieri Iustitiam: Commisimus Illustrissimis & Reverendissimis D. D. Ioanni Malachowski, Episcopo Culmensi & Pomesaniæ, Pro-Cancellario Regni, Abbatiæ Mogilnensis perpetuo Administratori; & Ioanni Comiti a Pieskowa Skala Wielopolski, Supremo Regni Cancellario, Minoris Regni Poloniæ Generali, Cracoviens. Neoforiens. Bochnens. Capitaneo, quatenus illi pro munere suo mutuâ inter se conferentia habita, modum quo ista præjudicia & querelæ frequentes subditorum Nostrorum amoveri, debitus verò ordo imposternm introduci queat, insistendo prioribus Ordinationibus antiquis, pro ratione præsentium temporum adinvenirent & constituerent. Functi itaq; officio iidem Illustrissimi Domini Iudiciorum Curiæ Regni Præsides, Cancellarius & Vice-Cancellarius modum præscripserunt, ordinarunt, & Nobis eorum nomine relationem fecerunt. Proinde Nos, qui in hoc Solio collocati: vicaria DEI potestate Iudicia exercemus, omnia inconvenientia (quibus antea Iudicia Regia perturbantur) longè amovere, Iusti-

tiam

tiam verò Sacrosanctam quam accuratissimè unicuiq; administrari, respectus quosvis & delectum personarum aboleri, & auctoritatem dignitatemq; Iudiciorum Nostrorum Regalium (quæ ex primævâ sui Origine suprema sunt) conservare exornareq; volentes, præsentem Ordinationem in vim perpetuæ Legis, non duntaxat ab Illustrissimis & Reverendissimis Iudiciorum Præsidibus, verum & ab omnibus litem sive activè sive passivè in Iudiciis Post-Curialibus Nostris habentibus, cujuscunq; Status, sexus, conditionis, dignitatis & præeminentiæ existentibus, observandam & tentandam, & inviolabiliter exequendam, conformando sese ad novellas consvetudines & Iura Regni, statuimus & exprimimus, sancimus, jubemus, edicimus, utq; universi & singuli, (cujuscunq; Status, sexus, conditionis, dignitatisq; fuerint) lites in hocce Regio Subsellio habentes; nec non omnes Advocati, Causidici, Procuratores & alii, ex quacunq; occasione Iudicio Regio assistent, eandem Ordinationem in toto observent, manuteneant exequanturq; sub pœna, arbitrio Iudicii Regii ejusdem irremissibiliter irroganda. Primum quidem, ut omnes ad Iudicia in Causis tam suis quam alienis, accedentes, honestè sese gerant, a scommatibus & verbis injuriosis, tam contra adversarium, quam (quod absit) contra personas Iudicii prorsus abstineant, clamoresq; & insolentias non excitent, ebrii non veniant, alioquin insolentius sese gerens, vel ebrius accedens, aut sub celebratione Iudiciorum excessus aut tumultus faciens, statim tacto termino citabitur, atq; ex Regestro seorsivo tactorum terminorum acclamatus, ante omnes Causas in recenti judicabitur, & pro clamore & tumultu excitato, Tribus Marcis pauperibus ad Hospitale applicandis, pro aliis verò excessibus ex arbitrio Iudicii Regii punietur. Quoniam autem in propositione & defensione causæ, plurimum bonæ fidei requiritur, admonentur Procuratores, ut causas, quibus patrocinantur, diligentissimè legant, in eisq; defendendis ita procedant, ut extra controversiam necessariam nil devium dicant, & omnia quæ asserunt, ipsis Actis, vel Iure scripto, aut Documentis realibus probare & justificare (si opus fuerit) sint parati; Leges, si quas eos allegare contigerit, (curare autem debent, ut sine Lege loqui pudeat) id fideliter & diligenter faciant, easq; quas allegaverint, illi colligant, ad quos libros, quibus illæ continentur, præsto habeant; causas studio non trahant; illis quorum patrocinium suscipiunt, graves non sint; litem ex lite

non serant, sed quod æqvum fuerit, partibus svadeant; causas injustas non foveant, neq; defendant, quod ipsimet iniqvum judicaverint, nisi judicialiter additi; atq; ita versentur in Foro, ut Benedictionem DEI præ oculis habendo, potius laudem Virtutis mereantur, quam Pœnas Legales incurrant. Quæ ad causam non spectant, & discursus minus necessarios omittant, Iudiciumq; non morentur, sed explicato verbaliter & summatim Causæ Statu, Documenta & rationes, quæ Causam salvare aut perimere possunt, allegare, producere, ordinatè juxta termini exigentiam (ultra sphæram Termini ejusdem non divagando) omninò tenebuntur. Vt autem homines varietate & pluralitate Causarum non onerentur, neq; perturbentur, omnes Causas quascunq; habuerint, sive ipsi Principales, sive eorum Procuratores, tempestivò ad minimum pridiè Iudiciorum celebrandorum, in Regestrum (quod in Cancellaria Decretorum) easdem Causas in idem Regestrum ordinatè sine delectu, prout se quisq; prius indixerit, connotabit, neq; ordinem Regestri perturbabit. Iudicia autem S. Regiæ Majestatis, & eorum Illustrissimi Præsidentes, Cancellarius & Vice-Cancellarius Regni, non nisi ex eodem Regestro, ordine illo, quo inscriptæ fuerint, superiores non intermittendo, inferiores non præponendo, acclamari non dent, easdemq; taliter ordinatè acclamatas judicabunt, non attentâ quavis & quarumvis personarum instantia, & non secundum merita personarum, nec secundum majoritatem & minorennitatem causarum, sed juxta ordinem & numerum Regestri, prout se quisq; prius vel posterius inscribi fecerit, decident. Serventur autem & intimentur Feriæ, applicenturq; Dies certi unicuiq; generi Actionum Forensium, utpote: Feria secunda, sive Die Lunæ, Causæ Iuris Magdenburgensis & Culmensis, Civitatum in Regno existentium, ex Regestro simplicium, in defectu autem simplicium, ex Regestro Arestorum Magdenburgensium; Feria Tertia sive Die Martis, eædem Magdenburgenses Causæ ex Arestorum Regestro, vel his deficientibus, simplices acclamentur; Feria Quarta, Die Mercurii, itidem Magdeburgenses ex Arestorum Regestro, in defectu, ex Regestro simplicium; Feriâ Quinta, Die Iovis, Causæ Prutenicæ simplices & Arestorum; Feria Sexta, Die Veneris, Spirituales Ruthenicæ, in defectu harum Prutenicæ & Livonicæ; ita tamen, ut Mensibus Ianuario & Februario, Iudiciis Ducatus Livoniæ recenter per Legem Publicam assignatis, Livoniæ ante

omnes has Die Veneris præferantur; reliquis autem Mensibus, in defectu Spiritualium & Ruthenicarum, judicabuntur eodem Die Veneris Pruthenicæ; Sabbatho, seu Die Saturni, Causæ Fisci, tam ex simplici, quam Arestorum Regestro, quod si hæ defuerint, Pruthenicæ acclamentur & judicabuntur, in defectu porro Pruthenicalium, recursus fiat ad Regestrum Magdenburgense, primo simplicium, deinde Arestorum; pro reliquo, si aliquo Die & Feria defuerint causæ in Regestro assignatæ, eo casu in defectu debiti Regestri illæ causæ, quæcunq; & in quocunq; Regestro inscriptæ, non judicatæ Causæ fuerint; acclamentur & judicentur. His itaq; Diebus Causæ ex Catalogo Iudiciario proponentur, neq; quisquam præsumat, Illustrissimis Dominis, Cancellario seu Vice-Cancellario, Referendario, Notario aliisq; Personis Iudicii molestus esse, ut extra Regestrum acclametur. Nemini enim hoc concedetur, nec Iure concedi debet, neq; ea in re respectus personarum ullus habebitur. Cæterum hora Iudicii futuri pro temporis opportunitate, sub fine Iudiciorum pro futura sessione semper intimabitur. In Causis ad Relationes Sacræ Reg. Majestatis spectantibus principales litigantes, tam ex Regno, quam ex Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ, ipsi vel eorum procuratores causas itidem ad Regestrum publicum in Cancellaria Decretorum haberi & servari debitum, tempestivè prius inscribant, deinde Status Causarum fideliter & diligenter Dominis Referendariis exhibeant, neq; in eis quidquam addant, augeantve, quod documentaliter probare non poterunt; alioquin si quis res improbabiles aut irreales in Statum Causæ referre auderet, & postea a parte adversa, vel ab ipsis Dominis Referendariis in eo convictus fuerit, vel jussus verba sua justificare actu ipso Controversiæ non poterit, severè punietur, atq; in ejusmodi excessu ter notatus ab Aula Regia excludetur munusq; Procuratoris amittet. Generosus porro Notarius Decretorum idem Regestrum seu Catalogum Causarum fideliter (juxta ejus officium) inscriptarum, Referendario Regni Iudiciis assistenti vel assidenti præsentabit & tradet: finitis Iudiciis semper recepturus & ad Cancellariam relaturus, secundum quod Regestrum & Numerum, ad judicandum per Referendarios acclamabuntur. Decreta in Iudicio Regio utroq; ex feriis partium controversiis prolata, statim promulgari debent, neq; post publicam sententiam informationes seu importunæ instantiæ quidquam operentur, nisi manifestum ali-

aliquod Documentum vel Notorietas nova in Iudicio non allegata, contra rem judicatam adsit; quo casu Generosus Notarius ante extraditionem ad Illustrissimum Dominum Cancellarium, qui tunc Iudiciis præest, vel qui eam Causam judicavit, referet, illi pro suo arbitrio & memoria in rebus, lectis partium ambarum illationibus corrigant, subscribant, & correctam Copiam Generoso Notario remittant. In extradendis autem iisdem Decretis & communicandis Generosus Notarius sic procedet: Primum, quod attinet Decreta in Contumaciam prolata, vel simplices approbatorias Sententias in se continentes, ea Generosus Notarius absq; ulla hæsitatione extradet, in quibus Terminus ordinarius Executionis præfigatur, dum pars partem adcitaverit pro Executione, quod arbitrio suo juxta Causæ necessitatem Generosus Notarius faciet. Quodsi Terminum alium, quam duarum aut sex septimanarum, vel dum pars partem adcitaverit, præfigi quisquam petierit, id porro fiat consensu partis utriusq;. Alia verò Decreta, quæ vel ex controversia partium ex cruda Citatione proferuntur, vel quæ aliquam insignem meliorationem, vel novum aliquod continent, Generosus Notarius, postquam requisitus fuerit, conceptum maneat dies tres in Manuali non extraditum, intra quos quidem tres dies liceat utriq; parti illud legere; quodsi ad Cancellariam Decretorum Procuratores venire & legere intra hos tres dies noluerint aut neglexerint, non obstante neglectu aut absentia Procuratoris, & parte alterâ instante, extradatur. Similiter, si (posteaquam legerint) Contradictio intuitu Controversiarum aut Inductioni Processus nulla exorta fuerit, itidem extradatur. Si verò Causæ sint majoris importantiæ, neque puncta Decreti Generosus Notarius in hospitio suo concipiat, interim Iudicium deliberet; concepta autem Iudicii & Assessoribus exponantur & publicentur. In Cancellaria, Munimenta quæ partes pro concipiendis Decretis reddunt, seponantur, in iis quærendis & recipiendis nemo audeat etiam in Iudiciis circa agitationem Causæ, Munimenta aliena surripere, sub gravi animadversione. Ibidem in Cancellaria rixæ & contentiones non fiant, alioquin lædens termino tacto citetur & judicabitur in recenti, prout supra. Hæc omnia, ut firmius ab omnibus observentur, præsentem Ordinationem tam Reverendissimi Domini Ioannis Malachowski Episcopi Culmensis & Pomesaniæ, Abbatiæ Mogilensis perpetui Administratoris, quam Illustrissimi Domini Ioannis Comitis a

 Pies-

Pieskowa Skala Wielopolski, Supremi Regni Cancellarii, Minoris Poloniæ Generalis, Cracovienſis, Neoforienſis, Bochnenſis Capitanei, a Nobis ad id deſignatorum ex ſpeciali Commiſſo Noſtro, Auctoritate & Poteſtate Officii Cancellariatus Regni, diligenter & accurate reviſam, formatam maturè, trutinatam concluſamq; manibus propriis ſubſcribi, Sigillis utriusq; Cancellariæ roborari: inſuper ad Acta Cancellariæ Decretorum referri & ingroſſari: Originale in Archivo Literario Regni aſſervari, & quotiescunq; requiretur, ex Actis in forma authentica extradi mandamus, cujus Reſcriptum in Cancellaria ſemper in aprico affixum eſto, ut nemo ignorantiæ prætendat, ſed omnes ſciant informenturq;, qualiter procedere & gerere ſeſe debeant. In quorum majorem fidem præſentes manu Noſtra Regia ſubſcripſimus. Actum & Datum Varſaviæ, die prima Menſis Martii, Anno M. DC. LXXX. Regni Noſtri Anno Sexto.

Joannes Rex.

Locus Sigilli Majoris Cancellariæ Regni.

Locus Sigilli Minoris Cancellariæ Regni.

Joannes Wielopolſki, *Cancellarius Regni.*

Joannes Małachowſki, *Epiſcopus Culmenſis & Pomeſaniæ, Vicecancellarius Regni.*

* * *

SVPREMI CANCELLARII REGNI.

1) *Ioannes de Strzelce Suchywilk*, Famil. Grzymała, Decanus Cracovienſis. vid. Caſimiri Lit. ap. Szczygiel. Tinec. f. 175. 1362. Dlugoſſ. T. II. 1373.

2) *Nicolaus Zaklika de Miedzygor*, Famil. Topor. vid. Vladislai R. Lit. ad civitatem Leopol. 1378. item Pabrocki de Arm. & Gniazdo Okolſ. inter Naramowſki Signatores non ſit ejus mentio.

3) *Io-*

3) *Ioannes de Radlic*, Famil. Koral, Canonicus Cracovienſis, 1381. conf. Lit. Ludovici R. ap. Nakiel. Miechov. f. 318. Dlug. T. II. Pabr.

4) *Zaklika Miedzygor*, Famil. Topor, Præpoſitus Sendom. 1389. conf. Jagelli Lit. ad civitatem Leopol. 1392. Miechov. L. 4.

5) *Nicolaus de Kurowo*, Famil. Szrzeniawſki, Archiepiſcopus Gneſnenſis, 1400. vid. Jagelli Lit. ad civitatem Leopol. 1405. Naramowſki de Signatoribus omiſit.

6) *Albertus*, Famil. Jaſtrzębiec, Epiſcopus Cracovienſis, reſignabat an. 1423. conf. Jagelli Lit. an. 1415. 1422. ad civitatem Leopol. Damalewicz in Archiepiſc. Poſt hunc Albertum Jaſtrzębiec ponit Naramowſki l. c. Johannem, Decanum Cracovienſem; an. 1424. & 1425. Stanislaum ſive Eraſmum Ciołka Epiſcopum Poſnanienſem; anno 1426. Johannem Szafraniec, inter Cancellarios; quovis anno alium. Verum enim vero ego opinor, priorem Johannem non alium quam Johannem Szafraniec eſſe; quippe hunc primum Decanum Cracovienſem, poſtea Epiſcopum Cujavienſem fuiſſe, conteſtantur Dlugoſſ. T. II. item Damalewicz in Epiſcop. Vladislav. Legi præterea Nomen ejus ſubſcriptum in quamplurimis privilegiis. Quodſi igitur Johannes Szafraniec, iſto tempore Decanus Cracovienſis, anno 1424. Cancellarius fuit, ut Naramowſki tradit ex privilegio in Okolſki Tom. II. f. 84. & ut ego ex valore Literarum Jagelli Regis, ut & Zaluſki confirmat, evidens eſt & evictum, Eraſmum vel Stanislaum Ciołka nunquam Cancellarium fuiſſe. Præterea, ut infra patebit, demonſtrare poſſum ex privilegiis, Johannem Szafraniec antea Vicecancellarium fuiſſe, poſtea Supremum Cancellarium. Succeſſit iſti Nicolaus Ciołka, Cantor Cracovienſis, in Vicecancellariatu. Impoſſibile igitur eſt, ut ante eum Cancellarius fuerit. Et quoniam Szafraniec usque ad obitum & Cancellarius & Epiſcopus Cujavienſis fuit, anno verò demum 1433. mortuus, ut Damalewicz in Epiſcopis Cujavienſ. ſcribit: Ea ex re Stanislaus Ciołka non prius, quam anno 1427. quo Epiſcopus Poſnanienſis creatus & ſigillum minus ſepoſuit, ad faſtigium Cancellarii aſcendit. confer. Treterus ex Dlugoſſo in Epiſcopis Poſnanienſ.

7) *Io-*

7) *Iohannes Szafraniec*, Famil. Starykoń, Epiſcopus Cujavienſis, mortuus anno 1433. conf. Jagelli Lit. 1426. apud Olſzowſki de Primat. item Pabrocki de Arm. f. 54.

8) *Iohannes Koniecpola*, Famil. Pobog, mortuus 1455. conf. Jagelli Lit. 1435. & 1441. ad civitatem Leopol. it. Caſimiri Lit. apud Olſzowſki Primat. Dlugoſſ. poſt Koniecpolſki collocat inter Cancellarios Naramowſki, Nicolaum Tarło, qui antea Signifer Sendomirienſis; provocat etiam ad Okolſki T. III. f. 58. anno 1455. Invenimus quidem loco citato: hoc titulo eum ornatum; ſed Okolſki nullum conſtituit tempus. Hinc apparet, Okolſkium permutaſſe Nicolaum Zaklike, cujus ſupra injeci mentionem; præſertim cum noſtri Scriptores Genealogici & Zaklikam & Tarło ad unam referant Familiam. Cum verò hoc anno nullus Tarło extiterit Cancellarius, concludendum eſt, Zkoniecpolſki anno 1455. diem obiiſſe ſupremum, quod quidem confirmat Epitaphium conſpiciendum & legendum Zkoniecpolſkii. Ei ſucceſſit Gruſzczynſki, prout quilibet cognoſcere poteſt ex privilegiis, ad quæ provoco.

9) *Iohannes Gruſzczynski*, Famil. Poray, Archiepiſcopus Gneſnenſis, reſignabat anno 1467. conf. Caſimiri Lit. ad civitatem Cracovienſem anno 1456. & Leopolienſem anno 1460. Crom.

10) *Iacobus Denbinski*, Famil. Rawicz, Sendomirienſis Palatinus factus 1472. conf. Lit. Caſimiri III. ad civitatem Leopol. Dlugoſſus T. II. Okolſk.

11) *Vriel Gorka*, Famil. Lodzia, Præpoſitus Poſnanienſis. Dlugoſſ. 1474. in vitis Epiſcopor. Poſnanienſ. Damalewicz in Vladisl. f. 328. Reſignabat Officium.

12) *Iohannes Zkoniecpola*, Famil. Pobog. conf. Pabrocki de Arm. f. 147. refert verò illum ad annum 1499. quod autem falſum, ut infra docebitur.

13) *Kreslaw Zkurozwenk*, Famil. Poray, Epiſcopus Cujavienſis, mortuus 1503. vid. Caſimiri Lit. ad civitatem Leopolienſem anno 1489. Alb. 1495. Laſk. Stat. f. 111.

14) *Iohannes Laski*, Famil. Korab, Canonicus Gneſnenſis. vid. Lit.

Lit. Alexandri apud Pabrock. 1504. f. 56. item Sigism. I. ad civitatem Leopolienſem 1510. Reſignabat anno 1510.

15) *Mathias Drzewicki*, Famil. Ciołek, Epiſcopus Premislienſis, reſignabat anno 1513. vid. Lit. Sigismundi I. contra Proſcriptos 1511. Nakielſki f. 588.

16) *Chriſtophorus Szydlowiecki*, Fam. Odrowąż, Caſtellanus Cracovienſis, mortuus 1532. conf. Lit. Sigismundi I. ad ita appellatos Krupken. Nakielſki 1531. f. 619.

17) *Iohannes Choinski*, Famil. Abdank, Epiſcopus Cracovienſis, mortuus 1537. Treterus in Varmienſ. f. 115. Starov. in Crac. Pabrocki.

18) *Paulus Wolski*, Fam. Labędz, Caſtellanus Radomienſis, reſignabat anno 1544. conf. Sigismundi I. Lit. ad civitatem Leopolienſem 1537. Pabrocki.

19) *Thomas Sobocki*, Fam. Doliwa, Pincerna Regius, mortuus 1547. vid. Sigismundi I. Liter. 1546. apud Pabrock. de Armis f. 86. Bielſki f. 775. Hunc omiſit Naramowſki. Okolſki etiam ejus fecit mentionem f. 162. T. I.

20) *Samuel Macieiowski*, Fam. Ciołek, Epiſcopus Cracovienſis, reſignabat anno 1550. vid. Sigismundi I. Auguſti Lit. ad civitatem Leopol. Starov. Pabrocki.

21) *Iohannes Ocieski*, Fam. Jaſtrzębiec, Capitaneus Cracovienſis, mortuus 1563. conf. Auguſti I. Lit. 1555. apud Pabrock. f. 474. ad civitatem Leopol. 1563. Hoſ. T. II. f. 160.

22) *Valentinus Denbinski*, Fam. Rawicz, Caſtellanus Cracovienſis, 1576. vid. Auguſti I. Lit. ad civitatem Leopolienſ. 1570. conſtitut. 1576. f. 248.

23) *Petrus Wolski*, Fam. Labędz, Canonicus Gneſnenſis, reſignabat 1577. vid. Stephani Reg. Lit. ad civitatem Gedanenſem. Lubienſki in Epiſc. Ploc.

24) *Iohannes Zamoyski*, Fam. Jelita, Supremus Dux Exercituum Regni, mortuus 1605. vid. Stephani R. Lit. 1580. & Sigismundi III. ad civitatem Leopol. Sarnic. in præfat.

25) *Matthias Pſtrokonski*, Fam. Poray, Epiſcopus Premislienſis, re-

resignavit 1609. conf. Sigismundi III. Lit. ad civitatem Leop. 1607. Damal. in Episc.

26) *Laurentius Genbicki*, Famil. Nałęcz, Episcopus Cujaviensis, resignavit anno 1613. vid. Sigismundi III. Lit. apud Possel. Damalewicz in Vladisl. f. 445.

27) *Felix Kryski*, Fam. Prawdzic, mortuus 1617. conf. Lit. Sigismundi III. 1615. ad civitatem Leopol. constitut. 1613. f. 6. Hist. Kobienic. f. 408. Okolski T. II.

28) *Stanislaus Zolkiewski*, Fam. Lubicz, supremus Dux Exercituum Regni, cecidit in acie 1620. Hist. Belli Chotimensis. Petricius Kobierzyc Hist. f. 532.

29) *Andreas Lipski*, Famil. Grabie, Episcopus Luck. resignavit 1624. Damalewicz in Vladisl. Piasec. f. 359. Histor. Kobierz. f. 480.

30) *Waclaw Leszczynski*, Fam. Wieniawa, mortuus 1628. Hist. Kobierzyc. L. II. Treter. in Warmiens. f. 154. Okolski T. III.

31) *Iacobus Zadzik*, Fam. Korab, Episcopus Culmensis, resignabat 1635. vid. Lit. Vladislai IV. ad civitatem Leopol. constitut. 1631. f. 5. Nakiels. f. 919.

32) *Thomas Zamoyski*, Fam. Jelita, Capitaneus Cracoviensis, mortuus 1638. vid. Vladislai IV. Lit. ad civitatem Leopol. 1635. Cluver. f. 832. Okolski T. I.

33) *Petrus Genbicki*, Famil. Nałęcz, Episcopus Premisliensis, renunciavit anno 1642. conf. Vladislai IV. Lit. 1638. Leop. constitut. f. 9. Nakiel. f. 947.

34) *Georgius Ossolinski*, Fam. Topor, mortuus 1650. constitut. 1643. f. 9. Ordo Elect. 1648. Treter. in Varmiens. fol. 159. Histor. colleg. Bydg.

35) *Andreas Leszczynski*, Fam. Wieniawa, Episcopus Culmensis, renuntiavit anno 1652. Treterus in Varmiens. f. 159. Msc. colleg. Raven.

36) *Stephanus Korycinski*, Fam. Topor, mortuus 1658. Fulden. L. 16. 1656. Histor. colleg. Cracov. Treterus in Varmiens. f. 159. Epitaph. Crac.

37) *Nico-*

37) *Nicolaus Prazmowski*, Fam. Belina, Episcopus Luck. renuntiavit anno 1666. constitut. 1662. f. 2. Treterus in Varmiens. f. 169. Monument. antiq.

38) *Iohannes Leszczynski*, Fam. Wieniawa, factus Palatinus Cracoviensis 1677.

39) *Stephanus Wydzga*, Fam. Jastrzębiec, Episcopus Varmiensis, renuntiavit 1678. Treterus in Varmiens. f. 171. Zaluski T. I. f. 680.

40) *Iohannes Wielopolski*, Fam. Starykoń, Capitaneus Cracoviensis, mortuus 1688. constitut. 1680. f. 710. Zaluski T. I. f. 805.

41) *Georgius Dönhoff*, Famil. Dönhoff, Episcopus Premisliensis, mortuus ante resignationem Cracoviæ 1702. Zaluski T. I. f. 1103.

42) *Andreas Zaluski*, Fam. Junosz, Episcopus Varmiensis, mortuus 1711. constitut. 1703. f. 9. & in Ejus Tomis passim.

43) *Iohannes Szembek*, Fam. Szembek, Capitaneus Grudent. & Lomzyc. mortuus 1733.

44) *Andreas Stanislaus Kostka*, Comes in Zaluskie Zaluski, olim Episcopus Plocensis, nunc Luceoriensis & Brestensis, ab anno 1735.

VICE- sive PRO CANCELLARII.

Auctor, seu Naramowski, Signatorum affirmat, (quod quidem ex Miechovita exscripsit,) Premislaum II. cum primus Rex Poloniæ coronatus, ad exemplum aliorum Regnorum introduxisse Sigillum anno 1295. in quo circa Aquilam Polonicam hæc scripta legebantur: Reddidit ipse suis victricia signa Polonis; in altera facie imaginem Regis sedentis cum sceptro in dextra & pomo in sinistra, cum verbis: Sigillum Premislai, Poloniæ Regis. Concedo quidem, quod Miechovita hæc scripserit, sed nego hunc Premislaum primum auctorem hujus sigilli fuisse, cum omnia privilegia, quæ & ante Premislaum diversis concessa a Regibus & Ducibus, apertè demonstrent, hoc sigillum a longissimo tempore in Polonia fuisse in usu; ex quo elicitur, diu ante Premislaum Munus Cancellarii & Vicecancellarii viguisse: quanquam Naramowski de Vicecancellariis veritatem concedere nolit. Ad majorem fidem hic nominabo Cancellarios &

Vice-

Vicecancellarios antiquiorum temporum. Okolſki deſcribens Arma ſeu Inſignia Radwan, nominat Cancellarium Radwan, regnante Boleslao Chrobry. Tempore Vladislai Regis Petrus, Decanus Poſnanienſis, Cancellarius Poloniæ in Bulla Leonis X. Papæ, in Synodo Laſk. 1527. allegatur.

1232. *Sebaſtianus Opolſcianus* Cancellarius, in Literis Heinrici Barbati, Ducis Cracovienſis & Sileſ. apud Nakielſki f. 156.

1242. *Wolimir*, Cracovienſis Cancellarius, in Lit. Ducis Cracov. & Lęczyc. apud Nakielſki f. 164.

1242. *Alexi*, Vicecancellarius, in Literis apud Szczygiel in Tinec. fol. 167.

1243. *Stephanus*, Ducalis Cancellarius, (hic eſt ejus Titulus) in Literis Premislai, Principis filii Wladislai Plwacza, apud Nakielſk. f. 167.

1250. *Twardoslaw*, Curiæ Vicecancellarius, (ſubſcripſit ſe Subcancellarius curiæ.) in Literis Boleslai Pudici apud Lipſk. Quæſt. Publ. qu. 7. & 1256. in ejusdem Lit. apud Nakielſk. f. 176. & 1277. f. 202.

1258. *Fulco*, Cuſtos Sendomirienſis, curiæ Cancellarius, in Literis ejusdem Boleslai, apud Szczygiel f. 155. & 1259. apud Nakiel. f. 180. & f. 183.

1270. *Petrus*, Cancellarius generalis; in Literis miſſis ad Dnn. Rozrazewſkios, in Mscto Rozrazews.

1277. *Dobroslaw*, Cancellarius Boleslai Ducis.

1283. *Vincentius de Czarnkowo*, fam. Nalęcz, Vicecancellarius Ducis Premyslai. Wielkopolſki in ejus Literis ad Moniales S. Dominici Poſnanienſis.

1284. *Chilo*, Cancellarius Ducis Premyslai. Wielkopolſki in ejus Literis apud Olſzowſki, in Zaluſki.

1289. *Procopius*, Cancellarius Ducis Leſci Nigri; apud Nakiel. f. 41. & apud Szczygiel f. 159.

1287. *Philippus*, Vicecancellarius ejusdem Leſci, Canonicus Sendomirienſis; apud Nakiel. f. 210. in ejus Lit.

1288. *Michael*, Cancellarius Siradienſis; in Lit. ejusdem Leſci apud Nakiel. f. 212.

1290. *Buſſilerius*, Cancellarius Premyslai Principis Pol. & Cracov. apud Nakiel. f. 215.

1305. *Clemens*, Canonicus Cracovienſis, Cancellarius, Dlug. T. II.

1311. *Zdzislaw*, Præfectus (Probſt) S. Floriani, Vicecancellarius Cracovienſis; in Lit. Vladislai Loctici Regis, apud Szczygiel. f. 166.

1317. *Franciſcus*, Cancellarius Cracovienſis; in Lit. Loctici Regis ad Dn. Firley, apud Poſſel. in Hiſt. & 1523. apud Nak. f. 254.

1331. *Philippus*, Cancellarius Regni, & *Zbigniew* Cancellarius Siradienſis & Vicecancellarius; apud Dlugoſſ. T. II. & apud Szczygiel. f. 168. Philippus, Cancellarius Poſnanienſis, in Literis Vladislai Loctici 1320; ex quibus apparet, quod iſtis temporibus Supremi Cancellarii Poloniæ Majoris & Poſnanienſes non alio gaviſi ſint titulo, quam vel Cancellariorum Poloniæ, vel Cancellariorum Regni; cæteri autem, qui uni præerant Provinciæ, a Provincia cognominabantur, ex. gr. Cancellarius Cracovienſis, Siradienſis, &c.

1326. *Otto*, Præpoſitus (Probſt) Gneſnenſis, Regni Cancellarius; Dlugoſſ. T. II.

1331. *Petrus*, Decanus Poſnanienſis, Regni Cancellarius; *Petrus II.* Præpoſitus Sendomirienſis, Vicecancellarius Cracov. in Literis Vladislai Loctici apud Nakiel.

1332. *Zbigniew*, Præpoſitus Cracovienſis & Cancellarius Cracov. in Lit. Vladislai Loctici, apud Nakiel. f. 257. & 1334. apud Laſk. in Statut. f. 167.

1346. *Tomislaw*, Vicecancellarius Cracovienſis; in Lit. Caſimiri de reſtauratione civitatis Bramberg. & 1354. apud Nakiel.

1347. *Petrus Szyrzyk de Falkaw*, fam. (ſigni) Doliwa, Regni Vicecancellarius, Præpoſitus de S. Florian. Dlugoſſ. T. II.

1361. *Otto*, Cancellarius Poloniæ; in Lit. Caſimiri M. apud Nakiel. f. 283. conf. Bulla Leonis X. 1527. promulgata.

Ex hac ſupputatione quivis cognoſcere poteſt 1) id, quod ſupra ſcripſi, quamlibet provinciam ſuum Cancellarium habuiſſe, cum Duces fuerint. 2) Munus Vicecancellariorum antiquum fuiſſe. 3) Mathiam Drzewicki non Cancellarium anno 1230. extitiſſe. Naramowſki quidem dicit, eum poſtea Archiepiſcopum Gneſnenſem eſſe factum, ſed ipſe iſtum non prius inter eos numerat, quam anno 1515. De cæteris vetuſtioribus, quorum meminit, demum a. 1370. ſtatuendum, quod, ſi fuerint Cancellarii, particulares provinciarum tantum fuiſſe, aut, ut jam monitum, Cancellarios Poloniæ; & ab ætate Premislai, coronati Ducis Poloniæ, forte titulum Regni Cancellariorum uſurpaſſe. Cæterum tanto in numero cum difficile ſit reliquos Cancellarios diſcernere, hinc Cancellarios & Vicecancellarios ab anno 1368. hic nominabo:

1) *Iohannes de Czarnkowo*, Fam. Nalencz, 1368. conf. Liter. Cœnobii Sendomir. apud Pabroc. de Armis f. 19. Statut. Przyl. f. 395. Hunc omiſit Naramowski.

2) *Simon*, 1380. Dlug. T. II. Statut. Przyl. f. 395. omiſſus a Naram.

3) *Nicolaus Moskorzewa*, Fam. Pillawa, Miechov. L. 4. 1387. Cromer. L. 15. Pabr. f. 294. Okol. ſub Pillawa.

4) *Clemens Moskorzewa*, Fam. Pillawa, Caſtellanus Wisl. conf Lit. Jagielli 1392. ad civitatem Leopol. 1400. civit. Leopol. & apud Nakiel. f. 333. Eum Naram. omiſit.

5) *Michael Tronba*, Fam. Tronba, Canonicus Cracovienſis. conf. Liter. Jagelli 1405. ad civitatem Leopol. & Naciel. in Miechov. Damalev. in Archiep.

6) *Petrus Dunin*, Fam. Labendz, Decanus Cracovienſis, mortuus 1415. conf. Lit. Jagelli 1415. ad civitatem Leopol. Dlugoſſ. in Epiſc. Poſnan. Hiſt. Poſſelii. Naram. præteriit.

7) *Iohannes Szafraniec*, Fam. Starykon, Decanus Cracovienſis, accepit ſigillum majus 1423. vid. Lit. Jagelli ad civitatem Leopol. 1422. item Ruſſos 1420. Naram. quoque eum omiſit.

8) *Stanislaus*, Cantor Cracovienſis; reſignabat 1427. vid. Lit. Jagelli in Olſz. de Primat. 1426. Ejusd. ad civit. Leop. Nakiel. f. 414.

9) *Vladislaus Oporowa*, Fam. Sulima, Decanus Cracovienſis; reſignabat anno 1437. conf. Lit. Jagelli 1428. apud Pabr. f. 54. item 1432. ad civitatem Leopol.

10) *Vin-*

10) *Vincentius Kot z Donbna*, Fam. Doliwa, Cuſtos Gneſnenſis; reſignabat anno 1437. conf. confœderat. Breſt. apud Laski in Statut. 1436. f. 141. item Pabr. f. 178.

11) *Petrus Woda de Czekocina*, Fam. Odrowonz, cecidit in prœlio apud Conizum 1454. vid. Lit. Caſimiri III. apud Olſz. 1451. ad civitat. Leop. 1448. item Nakiel. f. 464.

12) *Thomas z Zſtrzempina*, Famil. Prus; reſignabat anno 1455. conf. Lit. Caſimiri III. apud Lask. in Statut. f. 96. Starovolſc. in Cracovienſ. Epiſc. Pabr.

13) *Iohannes Ludko de Brzezia* Famil. Doliwa, Epiſcopus Cujavienſis; reſignabat anno 1464. conf. Lit. Caſimiri III. 1456. & 1460. ad civitatem Leopol. Damalev. in Vladisl. Naram. duos Lutkones, Vicecancellarios profert; ſed ex auctoribus demonſtrari, unum fuiſſe tantum, & ex computatione annorum idem evinci poteſt.

14) *Albertus Zychlinski*, Canonicus Gneſnenſis, mortuus anno 1472. conf. Lit. Caſimiri III. ad civitat. Leopol. item Pabr. Naram. eum omiſit.

15) *Zbiegniew Olesnicki*, Fam. Denbno, Epiſcopus Cujavienſis, reſignabat 1475. vid. Lit. Caſimiri III. ad civitatem Leopol. Dlug. T. I. Damal. in Vladisl. Epiſc.

16) *Stanislaus Zkurozwenk*, Fam. Poray, Canonicus Cracovienſis, mortuus 1479. conf. Lit. Caſimiri III. apud Lask. in Statut. f. 85. 1478. Pabr. f. 360. Okol. T. II. ſub Poray.

17) *Andreas Oporowski*, Famil. Sulima, Epiſcopus Premyslienſis, reſignabat Cancellariatum 1481. Cromer. L. 28. Biel. f. 465. Nakiel. Miechov. f. 535. Treter. Hic neglectus eſt a Naram.

18) *Gregorius Deitarus*, Fam. Godziemba, Præpoſitus Szkalmir. vid. Lit. Alberti Regis ad civitatem Leopol. 1493. 1495. Pabr. f. 281.

19) *Waclaw Przerenbski*, Fem. Nowina. vid. Lit. Alberti Regis 1497. ad civitatem Leopol. Reſignavit a. 1503. Damal. in Vladisl. Pabr. f. 238.

20) *Mathias Drzewi ki*, Fam. Ciolek, Epiſcopus Premyslienſis, ſuccedebat Supremo Cancellario anno 1510. vid. Lit. Alexandri Regis ad civitatem Leopol.

21) *Chriſtophorus Szydlowiecki*, Fam. Odrowonz, Caſtellanus Sendomirienſis, ex Procancellario Cancellarius anno 1513. vid. Lit. Sigismundi I. 1512. apud Olſz. de Prim.

22) *Petrus Tomicki*, Famil. Lodzia, Epiſcopus Cracovienſis, mortuus 1535. vid. Liter. Sigismundi I. 1515. ad civitatem Leopol. 1519. apud Olſz. 1535.

23) *Io-*

23) *Iohannes Choinski*, Fam. Abdank, Epiſcopus Plocenſis, ſuccedebat in Cancellariatum Supremum anno 1537. Lubienſc. in Vit. Plocenſ. Starovolſc. in Cracov. Naciel. Miechov.

24) *Paulus wolski*, Fam. Labendz, Caſtellanus Radomienſis, ſuccedebat anno 1538. vid. Lit. Sigismundi I. 1537. ad civitatem Leopol. & 1538. apud Naciel. in Miech. Naram. omiſit eum, quanquam alio loco inter Cancellarios retulerit.

25) *Samuel Macieiowski*, Famil. Ciolek, Epiſcopus Chelmenſis, primò Procancellarius, poſt Cancellarius an. 1547. vid. Lit. Sigismundi I. 1540. apud Naciel. f. 629. & 1544. f. 717.

26) *Nicolaus Grabie*, Famil. Grabie, Caſtellanus Chelmenſis, mortuus 1548. vid. Liter. Sigismundi I. apud Olſzowsk. de Primat. & Msct. Petricovienſ. Naramowski omiſit. Confirmant autem Acta contrarium, quæ ſubſcripſit.

27) *Iohannes Orioski*, Famil. Jaſtrzenbiec, Capitaneus Cracovienſis, ex Vicecancellario Cancellarius, 1550. vid. Lit. Sigismundi Auguſti apud Naciel. Naram, ſilentio præteriit hic, licet alibi Cancellarium appellaverit.

28) *Iohannes Przerenbski*, Famil. Nowina, Epiſcopus Chelmenſis; reſignavit anno 1559. vid. Lit. Auguſti I. ad civitatem Leopol. 1553. Pabr. 1557. f. 474.

29) *Philippus Fadniewski*, Fam. Nowina, Epiſcopus Premislienſis, reſignavit anno 1560. conf. Starovolſc. in Epiſcop. Cracov. Naciel. Miechov. f. 691. Okol.

30) *Petrus Myskowski*, Fam. Jaſtrzenbiec, Decanus Cracovienſis, reſignavit anno 1566. vid. Liter. Auguſti I. ad civitatem Leopolienſ. anno 1565. Pabr.

31) *Franciſcus Krasinski*, Famil. Slepowron, Præpoſitus Plocenſis, reſignavit anno 1572. vid. Lit. Auguſti I. apud Pabr. f. 254. ad civitatem Leopol. 1570.

32) *Petrus wolski*, Fam. Labendz, Epiſcopus Plocenſis, ſucceſſit anno 1574. vid. Lit. Heinrici Regis ad civitatem Leopol. Lubienſc. in Epiſc. Ploc. Paſtor.

33) *Iohannes Zamoyski*, Famil. Jelillo, ſucceſſit anno 1578. vid. Stephani Regis Lit. ad civitatem Gedanenſem. Hiſt. Zachin. p. 5. L. 6. Biel. Paſtor.

34) *Iohannes Borukowski*, Fam. Junoſz, Epiſcopus Premislienſis, mortuus 1585. vid. Stephani Regis Lit. ad civitatem Leopol. 1578.

35) *Al-*

35) *Albertus Baranowski*, Famil. Jaſtrzenbiec, Epiſcopus Premislienſis, reſignavit anno 1590. vid. Stephani Regis Lit. ad civitatem Leopolienſ. 1585. Conſtit. 159. f. 564.

36) *Iohannes Tarnowski*, Fam. Rolicz, Præpoſitus Cujavienſis, reſignavit anno 1598. vid. Sigismundi III. Lit. ad civitatem Leopol. 1591. & 1597. Biels. f. 767.

37) *Petrus Tylicki*, Fam. Lubicz, Epiſcopus Varmienſis, reſignavit an. 1603. vid. Sigismundi III. Lit. ad civitatem Leopolienſ. 1600. Lubienſc. Damalev.

38) *Mathias Pſtrokonski*, Famil. Poray, Cancellarius ann. 1605. Vita Pſtrokonii. Naciel. Miechov. f. 818.

39) *Stanislaus Minski*, Fam. Prus, mortuus 1607. Duryen. f. 71. Lubienſc. de motu Civili. Vita Pſtrokonii, Okols. Tom. II. Hiſt. Roſſ.

40) *Laurentius Genbicki*, Fam. Nalencz, Epiſcopus Bulmenſis, Cancellarius conſtitutus a. 1609. Hiſt. Poſſ. Damalev. in Archiep. f. 355. Lubienſc. in Plocenſ. Naram. omiſit.

41) *Felix Kryski*, Fam. Prawelzic, prius Vicecancellarius, poſt Cancellarius Regni Supremus, an. 1613. vid. Sigismundi III. Lit. de Feudo Pruſſiæ 1609. 1611. apud Poſſ. Okols. T. II.

42) *Heinricus Firley*, Fam. Lewart, Præpoſitus Plocenſis, reſignavit a. 1618. conf. Naciel. in Miechov. f. 640. Sigism. III. Lit. apud Nac. f. 855.

43) *Andreas Lipski*, ex Familia Grabie, Epiſcopus Luceorienſis, aſcendebat altius 1620. conf. Sigismundi III. Lit. ad civitatem Leopol. 1618. Hiſt. Kobierzyc. f. 548.

44) *Waclaw Leſzczynski*, Fam. Wientawa, Supremus Cancellarius an. 1624. Acta Caſtrenſ. Oſtrzeſzow. Hiſt. Collegii Caliſſ.

45) *Stanislaus Lubienski*, Fam. Pomian, Epiſcopus Plocenſis reſignatus 1627. Naciel. in Miech. f. 989. Okols. T. II.

46) *Iacobus Zadzik*, Famil. Korab, Epiſcopus Culmenſis, Supremus Cancellarius a. 1629. Naciel. f. 919. Vita ejus typis excuſa.

47) *Thomas Zamoyski*, Fam Jelita, ſucceſſit 1635. conf. Vladislai IV. Lit. ad civitatem Leopol. Conſtit. 1631. f. 5. Naciel. Miechov. 919.

48) *Petrus Genbicki*, Fam. Nalencz, Epiſcopus Premislienſis, Supremus Cancellarius 1638. Conſtit. 1638. f. 29. Starovolſc. in Epiſcop. Cracov. Okols. T. II. Naciel. f. 942.

49) *Georgius Oſſolinski*, Fam. Topor, ex Vicecancellario Supremus, an. 1643. Conſtitut. 1638. f. 29. 1641. f. 10. Hiſt. Paſtor. Janczyns. in Msc. Naciel. f. 947.

50) *Ale-*

50) *Alexander Trzebinski*, Famil. Jaſtrenbiec, Epiſcopus Premislienſis, mortuus 1644. Conſtit. 1643. f. 9. Conſtit. Synodal. Varſav. f. 2.

51) *Andreas Leſzczynski*, Fam. Wieniawa, Epiſcopus Culmenſis, ſucceſſit anno 1651. vid. Ord. Elect. 1648. Treter. in Varmienſ. f. 174.

52) *Hieronymus Radzieiowski*, Fam. Junoſza, Capitaneus Lomzynenſis.

53) *Stephanus Korycinski*, Famil. Topor, ſuccedebat anno 1652. conf. Centur. Potock. f. 474. Epitaph. Cracov.

54) *Andreas Trzebicki*, Famil. Labendz, Epiſcopus Premislienſis, reſignavit anno 1658. Fulden. L. 6. Zal. Tom. II. fol. 659. Treter. in Epiſc. Varmienſ.

55) *Boguslaus Leſzczynski*, Famil. Wieniawa, Supremus Dux Exercituum Regni, mortuus 1661. Conſtitut. 1661.

56) *Iohannes Leſzczynski*, Fam. Wieniawa, Dux Exercit. Regni Supremus, ſucceſſit anno 1666. Act. Caſtrenſ. Caliſ. Conſtit. 1661. f. 20

57) *Andreas Olſzowski*, Fam. Prus, Epiſcopus Culmenſis, reſignavit an. 1676. Conſtit. 1667. f. 7. Zal. T. I. f. 680.

58) *Stephanus Wydzga*, Fam. Jaſtrzenbiec, Epiſcopus Varmienſis, ſucceſſit anno 1677. Confirmat. Jurium Johannis III. 1676. Treter. in Varmienſ. Naram. oblitus eſt ejus.

59) *Iohannes Wielkopolski*, Fam. Starykon, Capitaneus Cracovienſis, ſucceſſit 1678. Conſtit. f. 5. Treter. in Varmienſ. f. 171. Zal. T. I. f. 694.

60) *Iohannes Malachowski*, Famil. Nalencz, Epiſcopus Culmenſis, reſignavit a. 1680. Conſtitut. 1680. f. 710. Zal. T. I. f. 710.

61) *Iohannes Gninski*, Fam. Track, mortuus 1685. Conſtit. 1683. f. 7. Zal. T. I. f. 805. Chron. Duryew. in Msct.

62) *Michael Radzieiowski*, Fam. Junoſza, Epiſcopus Varmienſis, reſignavit. Treterus in Varmienſ. Duryew. in Msc.

63) *Georgius Dönhoff*, Fam. Dönhoff, Epiſcopus Premislienſis, ſucceſſit 1688. Zal. T. I. f. 1103. Hiſtor. Coll. Premisl.

64) *Carolus Tarlo*, Famil. Topor, Capitaneus Stenzycenſis, mortuus, priusquam Munus Cancellarii aggrederetur, anno 1703.

65) *Iohannes Szembec*, Fam. Szembec, Capitaneus Grudentinenſis, ſucceſſit anno 1711.

66) *Iohannes Bocum*, Famil. Paprzyk, Epiſcopus Culmenſis, mortuus anno 1722.

67) *Iohannes Lipski*, Fam. Grabie, Præpoſitus Cathedr. Poſnan. Abbas Mogil. nunc Epiſcopus Cracovienſis & Cardinalis S. R. E.

68) *Ioannes in Malachowice Malachowski*, Capitaneus Opoczyenſis, 1735.

Cæte-

Cæterum monendi ſunt exteri, ut verba auctoris: Reddidit Sigillum; non de ſpontanea abdicatione interpretentur, ſed quod ex vigore conſtitutionum, poſtquam altiores Dignitates, & cum non conjungendas ſeu incompatibiles, ut loquimur, adepti, non tam libenter, quam reverenter, Regi Sigillum Majus & Minus Regni reſtituerint, ut aliis traderet pro arbitratu ſuo.

Lit. D.

Præfixo a Sacra Regia Majeſtate ad exſolvendum Homagium, termino duarum hebdomadarum ante Generalia Regni Comitia die 27. Jan. præterlapſi anni 1683. indicta, D. D. Legati penè Varſaviam veniebant, Sereniſſimumque Regem præſtolabantur. Poſtquam dies 1. Februarii ſolenni introitui determinatus illuxiſſet, circa meridiem D. Domini Senatores & Officiales Regni Magnique Ducatus Lithuaniæ, tum & Sereniſſimi Regis Sveciæ atque Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Conſiliarii & Reſidentes, iſte Dominus Simon Dörfler, hic Dominus Chriſtophorus de Wichert, rhedas ſuas ad numerum triginta quinque, ad curiam Secretarii Regni Majoris, Domini Franciſci Prazmowſki, Stawki nominatam, mittebant. Poſtremò etiam obviam venit prædictus Secretarius Major, nomine Sacræ Reg. Majeſtatis, & in curia ad fores domus ſubſiſtens rhedaque egreſſus, propenſam Regiæ Majeſtatis voluntatem erga Illuſtriſſimam Celſitudinem ſuam denuntiabat, ac de adventu D. D. Legatorum gratulatus eos in rhedam Regiam invitabat; adhæc Dominus Baro de Puttkammer tanquam primarius Legatus reſpondit, & ſic in curru Regio, a cujus latere uno Teutonici, ab altero Turcici celeres & ſatellites regni ibant, ad civitatem per aream, (in qua cohors militum ſupremi Mareſchalci Regni Domini Stanislai Lubomirſki ſoluto vexillo in armis ſtabat) equitibus plus minus trecentis & rhedis triginta tribus armis ſtabat) equitibus plus minus trecentis & rhedis triginta tribus præcedentibus, tribus verò ſequentibus Dominorum Legatorum rhedis cum equis deſultoriis, tubicinibus & equitibus, atque poſt hos rhedis duabus Dominorum ſupra dictorum Reſidentum, ad hoſpitium in ſuburbio deducebantur. Die quarto ejuſdem ad audien-

M tiam

tiam privatam vocabantur. Supremus Stabuli, nunc cameræ regni Præfectus Dominus Malczynſki (ægrotante regni Succamerario) cum aliquot Aulicis in prima anticamera obviam veniens, iſtos per marmoream ad proximam cameram deducebat. Sereniſſimus Rex ad menſam ſtabat, quem ſupra allegatus Baro de Puttkammer affabatur, tradebatque Literas credentiales Celſiſſimorum Ducum, tam primogeniti Domini Friderici Caſimiri, quam poſtgenitorum, Domini Ferdinandi & Domini Alexandri. Sacra Regia Majeſtas affectum ſuum erga Illuſtriſſimam Celſitudinem Suam declarabat, & de nonnullis cum iisdem colloquebatur, donec Præfectus ſtabuli regni Legatos & poſtmodum Nobiles Legationi additos ad oſculum manus regiæ invitabat. Die quinta ejusdem per Dominum Załuſki, Cancellarium Sacræ Reginalis Majeſtatis, nunc ſimul Epiſcopum Kyovienſem, ante fores cameræ prioris excepti ad Reginalem Majeſtatem deducebantur, cui negotia Illuſtriſſimæ Celſitudinis ſuæ commendabant & Literas credentiales tradebant, quibus acceptis Sacra Reginalis Majeſtas benignitatem ſuam regiam erga totam Domum Ducalem conteſtabatur, inprimis verò ea Celſiſſimam Duciſſam, non minus quam piæ memoriæ Duciſſam, ſe complecti aſſerebat. Eosdem hac ipſa quoque hora Sereniſſimus Poloniæ Princeps ad ſe admittebat. Sequentibus poſtea diebus Dominos Senatores atque Officiales aggrediendo, ea, quæ ipſis commiſſa erant, promotioni eorum more ſolito committebant, donec prorogatus a Sacra Regia Majeſtate terminus, dies nempe XXV. Menſis Martii, quo, utpote Die Feſto Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis, conſilia comitialia ceſſabant, appropinquaret, ubi circa horam primam a meridie Dominus Loſz Caſtellanus Culmenſis & ſupra dictus Secretarius regni Major in curru regio ad hoſpitium Legatorum veniebant, atque eosdem ad arcem deducebant. Celeres & ſatellites regii, tam Germani quam Turcici, a lateribus rhedæ ibant, & non procul ab hoſpitio Legatorum usque ad arcem milites D. D. Senatorum & Officialium, tum verò in interiori exteriorique arcis area cohortes cuſtodiæ corporis regii, ſolutis vexillis (quorum duodecim erant) armatæ ſtabant, atque clangore tubarum & tympanorum Legati excipiebantur. Venientibus ad portam ferream Auguſtalis Senatorum præfatus regni Supremus, nec non curiæ Mareſchalci Dominus Hieronymus Lubomirſki, Principes Romani Imperii, obviam veniebant, & præmiſſis Curialibus Legatos ad thronum regium deducebant, in quo Sacra Regia Majeſtas ſedens conſpiciebatur. A dextris Dominus Johannes Gninſki, Vicecancellarius regni; a ſiniſtris Dominus Vicecancellarius M. D. Lith. Dominicus Nicolaus Princeps Radzivil. Porro ad latus ſolii a dextris Dominus Raphael Comes in Leſzno Leſzczynſki, Vexillifer regni, Vexillum Feudale tenens; a ſiniſtris Dominus Warſzycki, Enſifer regni, diſtricto gladio ſtabant. In gradum throni regii inferiorem, poſtquam in genua ritu ſolito procubuerunt Legati, Dominus Liber Baro de Puttkammer ſequentis tenoris verba fecit:

Hoc eſt iſtud Encomium, nominibus hominum altius, quod ab Altiſſimo Regibus tribuitur: Dii eſtis. Inter hos terreſtres Deos S. Reg. Majeſtas Veſtra in throno ſuo collocata Deo non aliter, tanquam de cœlo, divite imbre beneficia regia in Terram ſuam Sarmaticam & ejusdem Statûs membra, Principes hominesque mittit ac demittit. Equidem Virtus S. Reg. Majeſtatis Veſtræ non patitur, ut aliquid radiis majeſtatis & benignitatis regiæ vacuum reperiatur; ſed ut omnia divinitate regia impleantur, virtus regia regium eſſe cenſet. Proveniunt verò ex Auguſtiſſima S. Reg. Majeſtatis Veſtræ manu nova & vetera beneficia, iſta tribuendo, hæc conſervando. Vtroque horum hac vice Illuſtriſſima Domus Curlandica exornatur, dum S. Reg. Majeſtas Veſtra Illuſtriſſimo ac Celſiſſimo Principi, Domino Friderico Caſimiro, in Livonia, Curlandia & Semigallia Duci, Domino noſtro Gratioſiſſimo, clementiſſime permiſit, per Legatos confirmationem Jurium veterum & Inveſtituram accipere, Homagiumque debito ritu præſtare. Quam ſvavitatem regiæ gratiæ, demiſſa gratiarum exoſculando, flexis genibus per nos rogat, dignetur Sac. Reg. Majeſtas Veſtra, tanquam ſupremus & directus Dominus, tenore privilegiorum & inveſtiturarum, Jura per Sereniſſimos Reges Poloniæ & Magnos Duces Lithuaniæ, ac Sacram Regiam Majeſtatem Ve-

Veſtram Ipſammet clementiſſime conceſſa, clementiſſime confirmare, Eumque de omnibus terris, civitatibus, villis, pagis, vicis, arcibus, præeminentiis, juribus omnibus & ſingulis, totoque Ducatu Curlandiæ & Semigalliæ inveſtire. Quo nomine, juxta laudabilem morem in majoribus Feudis receptum, per Nos, flexis genibus venerabundus ad pedes S. Reg. Majeſtatis Veſtræ provolutus, Homagium præſtare & Juramento Fidem ac Obedientiam per me ſolennibus verbis obſtringere paratus eſt.

Hisce pronuntiatis reſpondebat ſupra commemoratus Dominus Procancellarius Regni. Deinde Regia Majeſtas Feudale Vexillum e manibus Domini Vexilliferi apprehendebat, & primario Legato ad manus tradebat atque eundem apprehendentem vexillum iis verbis, quæ in Inveſtitura Divi Regis Michaelis ſuperius exſtant, alloquebatur. Deinde cum Liber Evangeliorum (quem Dominus Secretarius Regni Major tenebat) in ſinum S. Reg. Majeſtatis poneretur, primarius Legatus in ſupremo throni Regii gradu, genibus flexis, manu ſiniſtra Feudale Vexillum tenens, dextrâ vero ſuper Evangelium poſita, Juramentum Fidelitatis ſecundum formulam Juramenti anno 1639. prælegente eandem Domino Procancellario, exſolvebat. Quo præſtito Collegæ ſuo Domino Dieterico ab Alten Bokum Vexillum tradebat, & ad inferiorem theatri gradum, in genua iterum procumbens, pro clementiſſima Infeudatione gratias agebat. Poſtea ſæpe fatus Dominus Procancellarius reſpondebat. Quibus finitis Dominus Mareſchalcus Regni ſupremus Legatos ad capiendam ſeſſionem in ſellis a ſiniſtra S. Reg. Majeſtatis, in ſupremo theatri gradu poſitis invitabat, & Legatus ſecundarius Engelbrechto Taute Legationis Mareſchalco Vexillum Feudale tradebat. Inter ſedendum primarius Legatus, juxta priſtinam conſvetudinem, paululum caput tegebat, mox tamen in honorem S. Regiæ Majeſtatis iterum denudabat; Aulici verò Ducales, nimirum Joannes Otto Rappe, Felicianus Bukowſki, Joannes Georgius Colrepp & Heinricus Wilhelmus Medem, ut & Secretarius Legationis Polycarpus Bauer, ad oſculum manus Regiæ vocati, admittebantur. Hisce omnibus, Dei auxilio, feliciter peractis, Legati adhuc brevibus verbis Regiæ Majeſtati gratias pro Beneficio Celſiſſimo Duci dato egerunt humillimas. Tandem inter congratulationes varias D. D. Senatorum, qui Legatis accedentibus & excedentibus aſſurgebant, Dominus Regni & Curiæ Mareſchalci Legatos comitabatur, ſequente proximè & Vexillum gerente Mareſchalco Legationis, qui, poſtquam ad rhedam Regiam Legati venerant, Vexillum prædicto Domino Rappe porrigebat, & ſic Legati ex arce per ſupra memoratos Dominos, Caſtellanum & Secretarium Majorem, eadem ſolennitate, qua deducti fuerant, (niſi quod Vexillum Feudale proxime ante currum dictus Rappe Eques ferebat) per civitatis aream & ſuburbium ad hoſpitium, ubi tubicines & tympaniſtæ Regii tympanorum & tubarum hilari clangore iſtos excipiebant, deducebantur. Finitis feliciter comitiis, S. Reg. Majeſtas, uti antehac multum pro bono publico curis, ita poſthac aliquid dedit lætitiæ, atque in palatio ad Villam Novam convivium celebravit, ubi exhibuit

Qualia purpurei comedunt obſonia Reges.

Dabatur etiam Honos ibidem comparendi Legatis Curlandicis. Primum locum occupabat Auguſtiſſimi Imperatoris Orator Dominus Comes de Waldſtein; alterum Sereniſſimi Electoris Brandenburgici Legatus, Dominus de Crokau, Conſiliarius Status intimus; proximè Domini Legati Curlandici, & deinde D. D. Senatores aſſidebant.

Ad materiam de ceremoniis inveſtituræ adjungo Reverſales, a Divo Rege Michaele prima vice, & a Majeſtate nunc regnante bis datas:

Joannes III. DEI Gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ Czernichoviæq;.

Significamus præſentibus Literis Noſtris, quorum intereſt, univerſis ac ſingulis. Miſiſſe ad Nos, pro termino recipiendæ Inveſtituræ aſſignato, Illuſtriſſimum Principem, Dominum Fridericum Caſimirum, in Livonia, Curlandiæ & Semigalliæ Ducem, Legatos ſuos, Generoſos CHRISTOPHORVM HENRICVM LIBERVM BARONEM de PVTT-

 KAM-

KAMMER, Supremum Ducatus Sui Præfectum, & DIETERICVM ab ALTENBOKVM Supremum Suum Mareschalcum, Supremosq; Consiliarios Ducatus Sui Curlandiæ, & quoniam (N. B.) Nos in hoc Actu Homagii, more veterum Investiturarum, Regalia indutos, Coronaq; Homagiali redimitos esse, certæ non permiserunt Legalitates; declarandum censuimus, declaramusq; hisce Literis Nostris, quod Actus hic nihil receptæ consvetudini & solennitati Infeudationis, ex Pacto & providentia præjudicare, nec pro exemplo aut præjudicato in futuris, DEO dante, Homagiis reputari poterit. In cujus rei fidem, præsentes Manu Nostra subscriptas, Sigillis Regni & M. D. Lith. communiri jussimus. Datum Varsaviæ, d. XXV. Mens. Martii, Anno Domini MDCLXXXIII. Regni Nostri IX. Anno.

(L. S. majoris, Regni.) (L. S. minoris, M. D. Lith.)

Christophorus Toranowski, *Crac. Vars. Canonicus, S. R. M. Secretar.*

Holownia, *S. R. M. Secretarius.*

Lit. E.

(§. XVIII. Nro. XIII.)

Anno 1677. die 29. Novembr. ambo Legati Gallici, tam Reverendissimus Dominus de Forbien, Episcopus Marsiliensis, nunc Bellovacensis, quam Illustrissimus Dominus de Bethune, nigro induti pallio, per Illustrissimum Dominum Johannem in Gnin Gninski, Palatinum Culmensem, nunc Procancellarium Regni, in rheda Regia ad arcem Zolkieviensem, præeunte aliarum rhedarum ac equitantium agmine, adducti, ac in scalis & ante introitum a D. D. Senatoribus recepti, atque per Illustrissimum Dominum Nicolaum de Granova Sieniawski, Mareschalcum curiæ regni, nunc Palatinum Volhynensem & Campiductorem regni; introducti, Serenissimo Regi in solio sedenti venerationem exhibuerunt, & deinde ad peragendam Legationem sedilia sibi assignata occuparunt. Oratoris munere fungebatur dictus Episcopus, potiorem occupans locum, & christianissimi Regis Domini sui amicitiam declarabat, atque extraordinariam

riam Legationem Domini Marchionis intimabat. Respondit Illustrissimus Princeps, Dominus Michael Radzivil, Procancellarius & Dux Campestris M. D. Lithuaniæ, mutuam Serenissimi Regis offerendo amicitiam; Actûs autem solennitati dies crastinus præfigebatur. Die igitur XXX. ejusdem Serenissimus Rex, vestitu ad suscceptionem Ordinis accedentibus usitato indutus, scilicet ex panno phrygio argenteo, pallio nigro holoserico subducto panno serico leviori, coloris albi, mitra polonica nigrâ, crista clenodiis queornata, & albis ocreis ex tela serica confectis, atque in futuris martibus Scythicis consutis, auroque & gemmis fulgentibus, progressus est cum assistentia Senatorum & Officialium regni circa hunc Actum præsentium, inter Marchionem vestitu ceremoniali indutum ab uno latere, & ab altero inter Episcopum Marsiliensem, ex arce ad templum, ubi jam pro ceremonia, quatuor tapetibus pretiosis per gradus tecti throni parati erant. Vnus thronus a dextris, in nomen Serenissimi Regis Galliæ constitutus, alii tres a sinistris erant. Primus, sub quo Ornatum & Insigne Ordinis Serenissimus accepit, alter sub quo sedebat, tertius ubi Serenissima Regina sedebat. Marchio ad thronum Domini sui potiori sedebat loco; Episcopus autem Marsiliensis, pro hoc Actu Cancellarius, ab altera parte remotius. Magis adhuc remoti versus Regiam Majestatem, in minoribus subselliis assidebant Illustrissimi, Dominus Stanislaus Jablonowski Palatinus Russiæ, Exercituum Dux Campestris nunc supremus; Dominus Martinus Konski, Artileriæ regni Generalis Magister, nunc simul Castellanus Leopoliensis; item Dominus Karczewski & Korycki Generalis, ut socii. Vt primum cessum ceperant, prodiit pontificaliter indutus, habens in infula & ornatu albas intertextas Cruces, Abbas Peplinensis Wolff, cum assistentia Prælatorum, Aulicorum Clerisque aliis, etiam in Dalmaticis similes habentes cruces, & Missam de Spiritu Sancto & invocatione ejus, cum hymno: Veni Creator Spiritus; celebravit. Post Missam concionem habuit Pikarski Soc. Jesu, super Thema: Andreas frater Simonis, cum audisset de Joanne, secutus est Jesum. Joann. c. I. Deduxit Summam in Patriam & Regiam Majestatem,

ſtatem, tam in expeditionibus bellicis, quam etiam apud extraneos obſervantia, divinam providentiam. Poſt fecit etiam verba ſatis ampla in laudem confraternitatis. Poſt concionem ſurrexit Marchio, & cum aliis ad actum hunc deſtinatis Miniſtris, facta ante omnia ſupremæ ſuper omnes Principes Majeſtati, deinde throno in nomen honoremque Regis Chriſtianiſſimi erecto, & tandem Regi Sereniſſimo, & Suæ Majeſtati reverenti reverentia, proceſſit verſus altare ad thronum, ubi Inſignia poſita erant, relicto ibidem Marchione, alii pro adducendo Rege iverunt, cui præſenti Epiſcopus Marſilienſis conditiones Ordinis prælegit, deinde Sereniſſimus votum fecit, ac nomen ſuum in librum confraternitatis inſcripſit. Quo facto Regem pallio, quo indutus ad templum ſe contulerat, exuerunt, & eidem aliud nigrum holoſericum longum & amplum, auro ad inſtar lingvarum ardentium opulentè intertextum, uti etiam magnum collare, & ſuper illud monile cum cruce ab utraq; parte adamantibus diſtinctâ, impoſuerunt. Hoc habitu Sereniſſimus ad thronum iterum deductus, & actui iſti per hymnum: Te DEVM laudamus &c. cum applauſu muſico tubarum, finis eſt impoſitus. In eodem habitu Rex e templo ad arcem ſe recepit, ubi veſtes indutus ſolitas; ſed inſigne jam gerens, Dominos Legatos, Senatores & Officiales, in ſeram usque noctem lauto excepit convivio.

Lit. F.

SINGVLARIA CANCELLARIORVM

EX

CROMERO, NEVGEBAVERO, VAPOVIO, HEIDENSTEINIO, MIECHOVIO, PETRITIO, WARSEWICIO, PIASECIO, DLVGOSSO, BRVSIO, DRESSERO, SARNICIO, HERBVRTO, ZAWADZKIO, THVANO, aliisque quamplurimis;

opera & ſtudio

RVDGERI zur Horſt / & ADAMI NARAMOWSKII

ſparſim collecta;

hic vero Ordine Alphabetico Nominum obſervato, conjunctim legenda.

NB. H. ſignificat Horſt; Nar. Naramowski.

BRZE-

BRZEZIVS (Johannes.)

Regni Cancellarius, ad Doctoralia Inſignia, Studiorum præmia feliciter aſpiravit. H. p. 56. de Cancell.

CHOIENSCIVS vel CHOINIVS (Joh.)

Sub Sigismundo I. Cancellarius. Cum ſingularibus ſuis meritis factioſos quosdam offendiſſet, per eorum obtrectationes minus gratioſus fuit, quam eſſe debuit: cæterum Sigismundo Regi Seniori, cujus judicium divinum erat, ita fuit charus, ut invidi quidam & inimici plus, quam filium eum diligi ab illo, dictitarent. Atqui is fortaſſis diutius vixiſſet, ſi chariora ſua commoda, quam Virtutem & Rempublicam habuiſſet. Crom. L. V. p. 78. H. p. 69.

Eadem auctoritas in Choinium, utriusque Dignitatis ſucceſſorem, derivata eſſe videtur, qui Cardinalem Zbigneum Oleſnicium, anteceſſorem ſuum tempore Vladislai Jagellonis præpotentem, ſermonis libertate imitabatur; præcipuè verò in comitiis Petricovienſibus, in quibus de Sigismundo Auguſto filio non omnium optimè educato, cum Sigismundo Rege patre primus expoſtulaſſe memoratur; in quem Rex paullò aſperius invectus, quod publicè, ſed privatim illa ſibi dici expediebat; id tamen effecit, ut filius junior, qui jam decimum ſeptimum agebat annum, matris exemtus imperio Andreæ Opalinii, Viri multarum rerum & lingvarum gnari, fidei & poteſtati mandaretur, quo comite adhuc in ipſo flore juventutis junior Princeps ſubitò immutatus fuit; tales enim progreſſus faciebat, ut Lithuani ſibi ad gubernacula eum dari inprimis poſcerent. H. p. 723. Warſewic. p. 298. in Parall. L. II

CIOLCVS (Staniſl.)

Non exiguas gratias & Samogitæ debent Stanislao Ciolco, regni Vicecancellario; Iſtum enim certis ſignis Samogitiam a Cruciferorum ditione diremiſſe legimus. Neug. L. V. H. p. 206.

Poſtea Laſcaris quoque Epiſcopus Poſnanienſis mortuus, longam & pernicioſam ſucceſſoribus Stanislao Ciolco regni Procancellario, ac Miroslao Nalencio, Datario Apoſtolico litem reliquit, cum hic Pontificis proviſione, iſte Collegii ſuffragiis & Regis auctoritate niteretur, & Miroslaus quidem conſecratus poſſeſſionem tamen Bo- H. p. 785. Crom. L. XVIII. p. 282.

norum

norum adire invito Rege non potuit; Procancellarius verò omnia Bona Episcopi in poteſtate ſua habuit, quanquam non niſi poſt biennium, Miroslao vitâ defunctò, Episcopus a Pontifice renuntiatus eſt.

Neugeb.L. COTHVS (Vincent.)

V.p.284. H.p.823. Vincentius Cothus, Caſimiri III. Regis præceptor.

Nar.Fac.L. II. p. 121. Filiorum Jagellonis eò inſignior inſtitutor erat, quo regiorum educator animorum clarius eluxit. Ad Cæſarem Albertum munere Legati perfunctus. Poſt Varnenſem Vladislaum, Caſimiri coronator.

CRASINSCIVS (Franciſc.)

H. p. 192. Fidiſſimum Stephanus, tum Tranſylvaniæ Princeps, expertus eſt Franciſcum Craſinſcium, regni Poloniæ Vicecancellarium. Poſtquam enim delationibus Georgii Bekeſchii, in aula Maximiliani II. Imperatoris captivus detineretur, maximoperè Craſinſcius, tum Sigismundi Auguſti Regis Legatus, de Stephano in libertatem afferendo allaboravit.

CVROSWANSCIVS (Creslaus.)

Crom. L. 13.p.440. H.p.214. Cum Johannes Albertus Rex ad bellum Turcico-Wallachicum apparatum regni permagnum feciſſet, omnem exercitum an. 1497. menſe Majo, Leopoli ſibi præſto adeſſe juſſit, ipſeq; cum Sigismundo fratre Præmisliæ tum ſubſtitit aliquandiu, dum copiæ convenerunt. Ibi Creslaus Curoswanſcius, regni Poloniæ Magnus Cancellarius & Episcopus Vladislavienſis, minus neceſſarium bellum proſpiciens, Regem convenit, ab inſtituto revocans. Quem Rex durius acceptum abire & Sacerdotem Sacrorum, non belli curam gerere juſſit, ſe vel ſubuculam ſuam concrematurum, ſi eam conſilii ſui conſcientiam ſciret. Poſt ſecutum ingens bellum contra Moldavos, (nam ad octoginta millia armatorum in exercitu Regem habuiſſe ferebatur, exceptis lixis & aurigis, cum curruum ferè eſſent triginta millia) acriter ibi pugnatum; tandem Moldavis victoribus exiſtentibus, Rex re infectâ, multis Nobilium deſideratis, per Bocovinam ſylvam in Poloniam reverſus eſt. Adeò Curoswanſcii Cancellarium fidum conſilium, exitus enucleavit & explicavit.

CV-

CVROSWANSCIVS (Stanisl.)

Fortuna arriſit Schidlovicio pari felicitate, quâ olim Uriel Gorcanus, regni Cancellarius, Stanislaum Curowanſcium, regni Procancellarium, in Episcopatu Poſnanienſi competitorem præceſſit. Neugeb.L. 6. p. 420. H. p. 823.

DEMBINIVS (Jacobus.)

Haud Strelcio abſimilis Jacobus Dembinius, itidem regni Poloniæ Magnus Cancellarius, flexanimam ſvadelam in dicendo referens, facundia ſuâ ita Georgii Regis Bohemiæ & Procerum animos ſibi devinxit, ut poſtea Vladislaum, Caſimiri filium in Regem Bohemiæ eligerent, & Hungari, repudiato Matthia, alterum filium Caſimirum expeterent. Neug.L.6. H. p. 65.

Ea etiam animi fortitudine celebratur Jacobus Dembinius, regni Cancellarius, Legationibus & Bellis clariſſimus. Neug.L.6. H. p. 260.

DEMBINIVS ſeu Dębinſki (Valentinus.)

Poſt Ocieſcium ſuffectus Valentinus Dębinſki, Theſaurarius regni. Bielſki p. 615. Regio condemnandum Decreto, fautorem hæreſium Oleſniccium, Stancarum hæreticum foventem, ipſe fovit, dum a pœna mortis vindicavit. Bielſki p. 593. Okolſki T. II. p. 590: fovit hic Dębinſki amicum, ſed non amicam ei hæreſin. N. Sign. p. 18.

de DRZEWICA (Matthias II.)

Trium Regum, Alberti, Alexandri & Sigismundi fidus in munere. Sub ejus regimine Lutherana hæreſis Gedanum, imo integram Pruſſiam corripuit, cui ſeſe, ut potuit, oppoſuit. Ad comitia Electorum Legatus Francofurtum evicit quod intendit, ut Carolus V. Hiſpaniarum potius, quam Franciſcus Galliæ Rex, Cæſarianis admoveretur Imperiis.

GEMBICIVS (Laurentius.)

Quis Laurentium Gembicium, regni Poloniæ Magnum Cancellarium, cum in aliis partibus Oratoriis, tum maximè reſponſis ad exterorum Legationes promptè diſerteque dandis, nuper non admiratus eſt? H.p.71.ſq.

Peræque Laurentium Gembicium, in omni doctrinarum genere verſatiſſimum, Zawadzki deprædicat. Zawadzki in præf. Sc. H. p. 98.

 Quid

Idem H. p. 370. Quid Laurentius Gembicius, ejusdem regni Cancellarius, post Episcopus Vladislaviensis, tandem Gnesnensis Archiepiscopus? Nec Mecœnas quidem faventior fuit Horatio, non Messala Catullo, nec Pollio Maroni, quam hujus in Literarum cultores beneficentia.

GEMBICKI (Petrus.)

N. Fac. L. 2. p. 235. Tauricanæ, Moschoviticæ, Prussicæ expeditionum, suis Principibus comes; Duce turbarum Napierscio capto, exsurgentem tumultu flammam suppressit.

GNINSKI (Joannes.)

N. Sign. A. 1678. Anno eodem (1678.) Malachovio Cracoviensem Infulam prehendenti successit Joannes Gninski, Palatinus Mariæburgensis, qui dum sigillo potiretur, mutavit cum habitu statum. Zaluski Tom. I. P. I. p. 710.

GRVSCINIVS (Joannes.)

Cromer. L. 24. p. 367. H. p. 785. Subsequentibus temporibus mortuo Strempinio, Cracoviensi Episcopo, ardua disceptatio & æmulatio oriebatur inter Joannem Gruscinium, regni Cancellarium, & Joannem Brzezium, regni Procancellarium. Misit tum Casimirus ad collegium Sacerdotum, ut Gruscinium sibi optarent Episcopum; sed tantum is in tanto numero sex tulit suffragia, reliqua duorum & viginti in Brzezium Procancellarium concurrerunt; verum hic regiis minis deterritus electionem suam repudiavit, Vladislaviensis Episcopatus adipiscendi spe acceptâ.

JASTROMBECIVS (Albertus.)

Cromer. L. 18. p. 282. H. p. 723. Jastrombecii tanta erat tum temporis potentia, ut etiam Reginæ Elisabethæ id vehementer displiceret. Nota est acris ista certatio olim Alberti Jastrombecii, regni Cancellarii, cum Petro Visso, quem de episcopatu Cracoviensi in Posnaniensem detrusit, seseque in ejus locum substituit, sed Vissus morbo confectus obiit: quod ni obiisset, restitutus fuisset auctoritate Constantiensis concilii, ad Cracoviensem episcopatum, Alberto, Cancellario, dejecto. Sed profuit Alberto mors ejus, ut facilius a concilio, Rege petente, veniam impetraret.

Quanto

Quanto omnium odio Albertus Jastrombecius sub Vladislao Jagellone prosecutus fuerit, & tantum non deflagrarit, idem auctor (Cromerus) videri potest. Cromer. L. 7. p. 127.

KONIECPOLSCIVS (Joannes.)

Svaviloquo lepóre quondam valebat Joannes Koniecpolscius, regni Poloniæ Magnus Cancellarius. Hic ablegatus in Borussiam in Reipublicæ negotiis, cum Borussi Casimiro Regi in multis articulis repugnarent, non minis, sed sermonis gravitate eos vicit; sic jusjurandum ab universa nobilitate ac civitatibus concepta formulâ in verba regis datum accepit. Neugeb. p. 577. H. p. 71. sq.

Ejusdem generis turbulentos & rebelles fidus Joannes Koniecpolscius, regni Poloniæ Cancellarius strenuè persecutus est. Erant tempore Vladislai III. regis Poloniæ, in equestri ordine duo factiosi ac turbulenti juvenes, Spitco Melstinius, Palatini quondam Cracoviensis, & Derslaus Rithwianus, Palatini quondam Lenciciensis filius, qui cum res novare cuperent, & uterque magnas post se juventutis catervas traheret, Opatoviæ conventum contra novum Regem instituerunt; Quibus masculè Cancellarius Koniecpolscius, cum Zbigneo Olesnicio, Episcopo Cracoviensi se opposuerunt. Cancellario igitur maximè Spitco insidiatus est. Famâ aliquando acceperat a suis, Cancellarium in monasterio quodam divertere; igitur monasterium mox cum suis consortibus occupabat, sed Cancellarius prius velociter se subduxerat, a quibusdam præmonitus. Spitco post suæ temeritatis pœnas accepit, prœlio ante Corcinum commisso, a Regis exercitu interficitur. In Spitconem, palpitantem adhuc, judicium institutum, damnatusque perduellionis, triduò nudus & inhumatus in publico jacuit; Ranstinum arx ejus, in ditionem regiam redactum. Neug. L. 5. p. 306. H. p. 228.

KRYSKI (Felix.)

Ob svave oris profluvium Demosthenes Sarmaticus dicebatur. N. Sign. p. 23.

LASCVS (Joannes) vel LASKY.

Recenset Mathias Miechoviensis Historiam memorabilem de Johanne Lasco, regni Poloniæ Cancellario, hoc modo: Erat, inquit, anno 1505. magna factio inter Michaelem Glinscium, magnæ auctoritatis Math. Miechov. L. 4. c. 81. H. p. 304.

ritatis

ritatis Virum in Lithuania, & Albertum Tabor Episcopum Vilnensem; Johannem Zabrzezinski, Palatinum Trocensem; Stanislaum Sarnovicium, Capitaneum Samogitiæ; Stanislaum Kischkam, Capitaneum Pietrovicensem. Hi quatuor ad consilium Regis in Brzescie Rutheno venire metuebant, ob suspectas insidias vitæ eorum, apud Regem per Ducem Glinski eis subministratas. Glinski svadebat, mussitabatque apud aures regias diu noctuque, ad istorum sibi publicè & privatim resistentium vitæ, honoris & officiorum privationem, actumque fuisset de illis, nisi a summo periculo evicisset istos Lascus, Cancellarius, contra Regis Alexandri deliberationem & Glinskii temeritatem, proposita sibi strenuè auctoritate regni Poloniæ, cujus Cancellarius esset; protestabatur, quod a Rege discedere in regnum mallet, quam isti errori seditioso interesse, quo quidem Cancellario instante, temperatum ab exitioso isto processu, cantummodo Zabrzezinskio Palatinatus Trocensis adimebatur, qui tamen cum ipsis aliis hac donati erant Gratia, ut in Regno & Magno Ducatu curarent interim, Majestatem Regiam sibi efficere reconciliatam, quod isti se facturos obtulerunt.

LIPSKI (Andreas.)

H. p. 101. Splendet inprimis Reverendissimus & Illustrissimus Andreas Lipski, Regni Poloniæ nuper Magnus Cancellarius; quam enim felicissimè penna sua usus sit, edocent Observationes ejus Juridicæ seræ posteritati consecratæ.

N. Fac. L. 2. p. 232. Andreas a Lipie Lipski, Dux Severiæ, peragratis per Europam celeberrimis Gymnasiis, sic tersum expolivit ingenium, ut satis ad prensanda quævis fastigia videretur idoneus. Felices ingenii edens partus, scriptione Chronicon Sigismundi III. Regis Poloniæ; Decade Quæstionum & Observationum Juris Civilis edita, Orbi clarus.

N. F. p. 288. Licet ex hæreticis natus, brevi tamen orthodoxè renatus. Metropolitanam sedem sibi oblatam, ut alteri cederet, declinavit.

P. 488. Primus Suffraganeatum Luceoriensem instituit.

MA-

MACIEJOVIVS (Samuel.)

Similis pietas inerat Samueli Maciejowio, qui in concionibus gravis erat; Lutheranæ Confessionis homines metu magis, quam pœna continebat. Neug. L. 8. H. p. 119.

Quemadmodum ergo Choinius junioris Principis educationem incusabat, ita vicissim Maciejowius in Episcopatu & Cancellariatu successor Principem jam inauguratum, in negotio matrimonii cum Barbara Radzivilia, strenuè & magna cum auctoritate, multis alioquin Senatoribus contradicentibus, defendit & propugnavit. H. p. 725.

OCIESSIVS (Johannes.)

Summam in Philosophia laudem assecuti sunt Johannes Ociessius, Magnus Cancellarius, & Philippus Padniewius, Episcopus Præmisliensis, Vicecancellarius Regni Poloniæ; quam enim doctissimè & philosophicè de Rerumpublicarum fatis & conversionibus isti disputarint, demonstrat id Warsewic. de opt. Libert. Statu. H. p. 31.

Minimè quoque ab invidiæ morsu liber fuit Joannes Ociessius, Regni Cancellarius, quippe & iste asperis quorundam sermonibus sugillabatur, præsertim, quod iste potissimum esset, qui regiorum bonorum possessione esset locupletatus, & Legum executionem impediret. Quam suspicionem ut a se amoveret, adductis ad comitia secum filiis parvulis, privilegiorum, quæ Rex concesserat, Diplomatibus discerptis, dira eis precatus est, si in fraudem Reipublicæ aliquid regiarum facultatum obtinuissent. Neugeb. L. 8. p. 607. H. p. 865.

Warsewicius prodit de Ociessio, Cancellario, idipsum, qui post mortem demum desideratus fuit; siquidem ait, a morte Quis Quantusque aliquis fuerit, rectius æstimatur. Parallel. L. 2. p. 320. H. p. 913.

ODROWANSKI (Ivo.)

Nondum oblivioni tradita est singularis beneficentia Ivonis Odrowanscii, Regni Poloniæ Cancellarii, optimis meritis suis, Episcopatum Cracoviensem adepti. Quanquam enim iste jam ante 400. annos ex mortalium oculis morte abreptus esse legatur; attamen templa cœnobiaque ab eo condita, omnium oculis adhuc exposita, beneficum istum & magnum Virum adhuc repræsentare possunt. Crom. L. 7. H. p. 348.

Hic

Hic Ivo prius Romam profectus, ac Dominici Calaguritani (qui tunc novæ sectæ & sodalitatis, quam a studio concionandi, Prædicatorum vocant, auctor florebat) doctrinam vitamque admiratus, Iacinthum gentilem suum, atque tres alios, a Dominico institutum vitæ istius edoctos atque professos, Cracoviam secum reduxit, novæ Sodalitati primarium in urbe Cracoviensi templum, quod Trinitatis nomine appellatur, attribuit, copiosam supellectilem templo dicavit. Idem Ivo Caciense monasterium Cistercienfibus, & alterum Sendomiriæ Dominicanis monachis, post & Mestoviense, Dlubnense condidit; similiter Derzansnensem, Wawrinciensem, Dalessicensem & S. Pauli apud Sendomiriam Parœcias exstruxit.

Quid invidia & odium possit, exemplo suo edocuit Ivo Odrowanscius, Regni Cancellarius, quem auctore & Duce Miecislao, a Russis olim vexatum & ejectum esse, Cromerus in Hist. testatur. L.7.p.127. H. p. 874.

ODROWAZ (Petrus Woda de Szczecocin.)

N. Sign. 1442. H. p. 260. Neug. L.6. p. 340. Hic Secularis periit in conflictu sub Choynice, an. 1454. Bielski p. 401. 403.

OSSOLINSKI (Georgius, Comes de Tęczyn.)

N. Sign. 1638. p. 32. Princeps S. R. Imp. a Ferdinando II. constitutus, Europam peragrando dum novit, notiorem a se fecit, quam dum iste stupuit, ista virum coluit. Dum ab exteris rediit, ad cruda Martis bellaria processit; crudiorne isti cum Vladislao Rege, Moschoviticus Mavors fuerit, an iste Mavorti, edicat Victoria, subjugata fateatur Russia. Fuit publicus Orator in Angliam, ad Jacobum Britanniæ Regem, nec abivit, quin subsidia Poloniæ contra Osmannum ferebat. Altmarcum an. 1629. libens festinavit, qui inclinatis ad pacem partibus, Svecum inter & Polonum sexennales inducias tulit. A Vladislao IV. ad Vrbanum Pontificem dum Romam perrexit, tanto Viro Roma inclaruit, qualem nec opulentiorem ab opibus, nec splendidiorem ab ingressu, nec eruditiorem ab ingenio ut vidit, audivit. Sub bello Svetico an. 1635. a Vladislao Prussiæ Gubernator impositus, suo nomine frænum hosti imposuit, dum inde repressis hostibus intactam, quam accepit, Regnanti reddidit.

RA-

RADLICIVS (Johannes.)

Ludovici Poloniæ & Hungariæ Regis, Medicus. Neugeb. L. 4. p. 221. H. p. 823.

Clarum arte medica Joannem hunc, Medicinæ Doctorem, Canonicum Cracoviensem, Cancellarium Regni Poloniæ, clariorem pastorale effecit pedum. Anno 1380. hausto ad mensam infectus veneno, peritia artis medicæ (scilicet ligatis sursum pedibus affixus, tam diu tenerioribus in ictus bacellis fustigabat intestina, quoad usque nondum digestos cibos evomeret) vitam in triennium protraxit. Sic enim medica pollebat arte, ut solo sanum cognosceret aspectu brevi moriturum. N. Fac. L. 2. p. 211.

SCHIDLOWICIVS (Christoph.)

Lege a Sigismundo I. lata, ut alteruter semper ex iis Secularis esset, primus Christophorus Schidlowicius magni nominis Cancellarius fuit. H. p. 18.

Non abs re erit effari aliquid de Christophori Schidlowicii, Cancellarii Regni & Castellani Cracoviensis, singulari dicendi gratiâ; qui enim in eo Eloquentiam desideret, svavitatem in melle desiderare videtur. Erasmus Roterodamus, quanti istum fecerit, quamque lamentabiliter de morte ejus conquestus sit, ex Scriptis ipsius liquet. Cancellarius hic nomine Reipublicæ aliquando Legationem ad Vladislaum Regem Hungariæ susceperat; istuc cum venisset, Hungariam rebellem admodum invenit, quippe Georgium Zechelium Regem crearant, qui cum omnia vastaret, non solum Regni Hungariæ Episcopos & Satrapas, sed Regem ipsum Vladislaum terruit adeo; ut de Buda relinquenda Rex consilia agitaret: quam haud dubiè deseruisset, ni Schidlowicius eum a tam improbo & meticuloso consilio, magnanimis opportunisque persvasionibus avertisset: convocatoq; Budam Episcoporum ac Procerum Regni conventu, ea, qua praeditus fuit Eloquentia, Schidlowicius obtinuit, ut Johannes Trencinius, Scepusiensis Comes, in Transylvania exercitum conscriberet, & cum eo Zechelium, istum umbratilem Regem, aggrederetur. Re ita bene persvasa, Comes arma contra Zechelium vertit, quem apud Temeswarum adeptus, conserto prœlio, non incruenta eum pugna Vapovius in Fragm. Histor. p. 557. H. p. 74. f.

 supe-

ſuperavit. Illud DEO & Schidlowicii facundiæ, quem Servatorem Hungariæ proclamarunt, uno applauſu Hungari acceptum ferebant.

Vapov. in Fragm. H. p. 357. f. Eniteſcit eâ gloriâ Chriſtophorus Schidlowicius. Ad perennis enim memoriæ ejus cumulum acceſſit, quod Opatoviam majorem, Samboriam & Lucoviam oppida, cum arce Chlemovia (loca antea immunita, & Tartarorum excurſionibus obnoxia) vallo, foſſa, mœnibus ac propugnaculis communivit, Remque Publicam per hoc auxit; moriturus teſtamentum condidit, & ſe Opatoviæ, quod oppidum à Lubuſſenſi Epiſcopo multis aureorum millibus mercatus erat, humari juſſit.

Neug. L. 6. p. 420. H. p. 824. Tanta ornatus dignitate Chriſtophorus Schidlowicius, multas Legationes ad Cæſarem aliosque Reges obivit, in quibus talem ſe exhibuit, ut non immeritò à Cæſare atque tot Regibus amaretur. Galliæ quippe atque Angliæ Regibus tam gratus, ut frequentes ab iis literas ſummæ amicitiæ plenas receperit. Cum Imbraimo Baſcha, qui apud Turcicum Imperatorem primum gratiæ locum obtinebat, tanta iſti fuit amicitia, muneribus ultro citraque miſſis & acceptis, ut tunc & longo poſtea tempore à Turcis Regnum Poloniæ pacem habuerit, ejusq; opera Podolia ac Ruſſia, poſt tot Turcarum, Tartarorum ac Walachorum hoſtiles infeſtationes, in florentem ſtatum ſit reſtituta, Solymanno & Imbraimo ſuo juſſu eas gentes ab aſſvetis excurſionibus refrenante.

Nec minora honorum præmia nactus eſt Chriſtophorus Schidlowicius, Cancellarius ſub Sigismundo I.; præterquam enim, quod Caſtellanus Cracovienſis, ſummus Secularis Senator audivit, inſuper etiam à Vladislao Vngariæ Rege Satorienſis Dux, datis ad hoc Diplomatibus, creatus eſt.

N. Sign. p. 12. Legatus ad Maximilianum Cæſarem, ſic cor ejus rapuit, ut cum corde theſaurum videretur eripere Chriſtophorus Schidlowiecki. Auro ab iſto onuſtus, qui aureus fuit. Octoginta enim aureorum millia ab eo ſe dono ſucceſſivè accepiſſe, ipſe teſtatus eſt.

STRELCIVS (Johannes.)

H. p. 56. de Canc. Ad Doctoralia inſignia ſtudiorum præmia feliciter aſpiravit.

Quis

Quis verò Johanni Strelcio promeritam eloquentiæ gloriam præripiet? Miſſus iſte erat anno 1370. nomine Reipublicæ, ad Ludovicum Hungariæ Regem, cui Regnum offerebat Polonicum; cunctanti iſti, cum Strelcius orando & Vngari Proceres ſvadendo inſtarent, tandem reſpondit Rex: Non ſatis intelligere neque hos, quid ſvadeant, neque iſtum, quid petat; ſicuti ne duobus quidem gregibus expediat unum habere paſtorem! Verum Strelcius ſvadâ ſua adeò Regis animum occupavit, ut ſermone & precibus ejus victus, ſceptrum Polonicum etiam aſſumeret. H. p. 64.

STREMPINIVS (Thomas) vel Strepinius. H. p. 350. 375.

Beneficum animum Ivonis Thomam Strempinium, in utraque dignitate multis poſt annis ejus ſucceſſorem feliciter imitatum eſſe, ex eodem auctore accepimus. Etenim utenſilia quædam, non parvi pretii Baſilicæ Cracovienſi; Lovicienſi verò templo 1000. florenos pro inſtituendo Collegio Sacerdotum, quos Manſionarios vulgò vocant, liberaliter obtulit; non minimam ſuæ librariæ ſupellectilis partem in Academiam Cracovienſem partitus eſt. Crom. L. 24.

Thomas Strepinius, S. Theol. & Juris Canonici Doctor, exactis in hoc munere (Epiſcop. Cracov.) 5. annis, ſponte ex eodem cedere in animo habuit, infelicem aſſerens diem iſtam, quâ Epiſcopus promulgatus fuit, nihilque ſe totâ vitâ ſuâ ſtultius egiſſe, quam dum Pontificatum ſuſcipere conſenſiſſet, exoſus malitiam & ſcelera populi; ſed ejus votis dum minimè conſeſſiſſet Aula, paralyſi tactus & calculi dolore geminato, oppreſſus eſt langvore Anno 1640. N. Fac. L. 2. p. 217.

TOMICIVS.

Non minor Tomicii auctoritas, tam apud Sigismundum I. quam apud Carolum V. Imperatorem, qui hoc ei teſtimonium dederat, quod neminem externum Legatum melius & fidentius Latinè ſuam Legationem expedientem apud ſe habuiſſet. Warſew. in Parallel. L. 2. p. 383. H. p. 723.

TRAMBA (Nicolaus.)

Retroſpiciamus avorum & atavorum tempora, conſpicui Nicolaus Tramba, Regni Vicecancellarius, Vladislai Jagellonis Regis fidiſſimus belli Achates, cui in bello cum Cruciferis geſto, ad Grune- Neug. L. 5. p. 253. H. p. 260.

waldum

waldum non minimam victoriæ partem aſſcribunt: etenim Bohemos & Moravos milites mercenarios in fugam verſos, graviter objurgatos in aciem redire compulit, qui revertentes ſpeciem novi exercitus hoſtibus præbuerunt, tandemque cum Polonis triumpharunt.

N. Fac. L. 2. p. 119. Conſtantienſi Concilio adfuit; ſic ſingulis placuit, ut omnium ſuffragiis (ni Martino V. ceſſiſſet) caput Præſulum deſignaretur, inter ſummos ſummus Paſtor. Ex mente Concilii Conſtantienſis Sigismundi Cæſaris comes, demum ad eundem à Vladislao Rege Poloniæ Legatus, inter Gallica & Anglica Coronatorum Capita arduum pacis incepit opus, & fauſtè deſudans finiit. Denique inter Vngaros & Polonos dum combinationis ſuſcepit opus, munus Eccleſiæ cum vita depoſuit. Hic primus Primatum Regni, cum Jure perpetuæ Succeſſionis, (Archiepiſcoporum Gneſnenſium) obtinuit, dum ſuis in Pontificatum ſuffragiis ceſſit liberè.

WOLSKI (Petrus Dunin.)

Crom. L. 5. H. p. 350. Memorabilia beneficentiæ teſtimonia Petrum Dunin Wolſki, Comitem Scrinenſem, ediſſe, ex eodem auctore liquet. Fertur enim hic, ſucceſſu temporis LXXVII. templa, diverſis in locis in Polonia ſecto lapide exſtruxiſſe ac dotaſſe, quorum pleraque adhuc exſtant.

ZADZIK (Jacobus) Dux Severiæ.

Nar. Fac. Tom. 2. p. 234. 565. Omni tutus in periculo, Lycæum Arianæ hæreſis Racovienſe evertit; Vilnenſes Calviniſtas pio auſu urbe exturbavit; Curiam Varſavienſem pro ſucceſſoribus erexit; parem cum Moſchis, binas cum Svecis inducias ſat laborioſe concluſit.

ZAMOISCIVS (Joannes Zarius)

Keckerm. in Diſp. Pract. p. 500. H. p. 29. Studio Philoſophiæ in juventute ſedulò invigilabat, & totis annis Patavia & Lutetiæ, deſidebat libris accubuus & chartis velut involutus, non ſine offenſa patris & cognatorum, qui id ei exprobabant, fore hominem de ſchola atque inutilem Reipublicæ. At verò poſtquam doctrinæ quantum ſatis videbatur, magno ſtudio atque indefeſſa induſtria comparaſſet, & ad res gerendas animum adjeciſſet, nemo fuit ad conſilia aptior, nemo inſtructior ad ſumma quæque Regni

Regni negotia expedienda. Id ipſum confirmat Burſius, Profeſſor Zamoiſcii, cum ait: Artium Philoſophiæque cognitio planè in Zamoiſcio fuit admirabilis; quicquid enim à Græcis vel Latinis ingeniis egregium, & doctrina ſcientiaq; dignum litterarum monumentis proditum eſt, nihil eſt, quod iſte non viderit, legerit, planeque perceperit, ſed etiam tenaciſſimè meminerit. In eo tanta fuit ſcientia, ut ſæpe numero ſuos Profeſſores Zamoiſcius in ruborem daret, qui aſſiduè libris involuti, nocturna diurnaqun Manuſcripta doctorum evolvebant; neque tamen ex iis ita facilè, quoties uſu venit, prompta & parata ipſis ſub manum veniebant, quam iſti, qui ante multos annos hæc ipſa cognoverat. Certè Themiſtoclea vel Senecana ejus erat memoria. In Act. Anniverſ.

Zamoiſcius etiam Fortificatoriæ Artis ſcientiſſimus erat. Etenim in oppugnationibus, ubi foſſæ ducendæ eſſent, ut tanto intervallo, tanta vi, unumquodque bellicum tormentum muros ferire & penetrare poſſit, Archimedea arte, circuli, trianguli aut quadrati uſu, tum aliis inſtrumentis id conficiebat. Hinc fiebat, nullam tam munitam eſſe potuiſſe urbem aut arcem, quæ virtuti illius eſſet inexpugnabilis, ut ad quamque venit, vidit, fregit, vicit, cepit. H. p. 33.

Zamoiſcius cum ſibi perſvaſiſſet, nihil eſſe in vita tantoperè expetendum, quam laudem Divini Numinis, & Patriæ felicitatem, ad Juriſprudentiam etiam animum maximè impulit; eam igitur velut ultimam manum ſtudio impoſuit. Interea cum de ingenio ejus & ſingulari eruditione, indies fama crebeſceret, omnes, quicunque de ingeniis aliquid judicare poterant, certatim ſeſe iſti applicuerunt, ac unanimi conſenſu Principem Juventutis Literatæ, Rectoremq; Academiæ Patavinæ crearunt. Quo munere ingenti cum laude defuncto, & ſtudiorum penſo feliciter abſoluto, patriæ amor eum in Poloniam revocavit. Extat Zamoiſcii Opus Legum & Inſtitutorum Academiæ Patavinæ, quod antè diſperſum & corruptum collegit, ordinavit, recenſuit, edidit; argumentum ingens, quantus erat futurus Patriarum Legum peritus, qui Peregrinarum tantoperè ſtudioſus fuit. H. p. 49.

H. p. 92. Facem præfert Johannes Zamoiſcius, cujus doctrinam literarumque amorem, & exterorum labra decantant; cujus uti præſentia Patavienſibus erat amabilis, ita abſentia deſiderabilis, complurimis feneſtris, januis & domibus ſequentia verba aſſcribentibus: Vivat Polonia cum Zamoiſcio Rectore Patavienſi!

Ad. Burſ. in anniverſ. Actu. Optimè Zamoiſcius quandocunque & quotiescunque ad eum fiebant verba Latina, iſta, quæ ex tempore reſpondebat Latinè, Latiniora & cultiora erant, quam ea, quæ ab aliis, qui non mediocre nomen ex literis habebant, meditata ac parata afferebantur; quæ verò præmeditatè ſcribebat, ea ſic probabantur, ut ad veterum Scriptorum laudem pervenirent.

H. p. 94. Quemadmodum autem Zamoiſcius doctiſſimus erat, ita & impenſe doctorum virorum colloquiis & converſationibus delectabatur. Liberali menſa ſæpe excipere ſolebat Albertum Baranovium, Petrum Tilicium, Regni Poloniæ Vicecancellarios, & ejus fidos collegas; plerumque autem concomitabantur eum David Hilchen, Secretarius & Notarius Terreſtris Vendenſis; Reinholdus Heidenſtein, Simon Simonides Doctor Medicinæ, Rüttgerus Lewes; iſti quatuor Zamoiſcio erant familiariſſimi, his in menſa thema aliquod proponere ſolebat, tandem poſt longas pro & contra diſputationes & diſcurſus, ſumma cum gravitate concludebat. Referunt de eo, quando proficiſceretur, habuiſſe plerumque ſecum ciſtam, multis thecis, ſecundum Alphabetum diſtinctam, variisque libris repletam, unde à famulo, ex qua literâ vellet, libros poſcebat.

H. p. 357. Quis ignorat Zamoiſcii ſingularem in Rempublicam amorem; certè & exterorum ora & elogia in ſe convertiſſe videtur.

L. 134. Admiratur Thuanus, in Parlamento Galliæ Præſes, pium ejus erga patriam ſtudium, dum ſcribit: Zamoiſcius Cancellarius, magno patriæ charitatis exemplo in Teſtamento de patria ſollicitus fuit. Nam ſi unicum filium mori contingeret, voluit, ut unum tantum oppidum & quatuor villæ ad conſangvineos ex ſucceſſione ſua devenirent, cæteris Bonis omnibus in Reipublicæ uſum converſis; ita ut ſit ſemper curator à Republica conſtitutus, qui omnes reditus in unum

unum redigat, & theſaurus iſte ſeponatur ad extremam Reipublicæ neceſſitatem, ut nullus ſine Regis & Reipublicæ conſenſu, eum in alios uſus poſſit intervertere. Ita Thuanus.

Aequè, ut Schidlowicius Opatoviam, ita Zamoiſcius urbem ſuam à cognomine ſuo Zamoiſciam appellatam muris, propugnaculis, templo & arce ſplendidiſſima exornavit & munivit. H. p. 358.

Loquitur pro eo (Zamoiſcio) Academia, quam ut optimarum Artium, Scientiarum & Virtutum Seminarium, in urbe ſua Zamoiſcia ad perpetuam nominis famam inſtituit. Ad hanc regendam, lectiſſima quæque ingenia ex Academia Cracovienſi evocavit, honeſtiſſimis ſtipendiis exornavit, libertates & immunitates à Summo Pontifice, à Sereniſſimo Rege & univerſa Republicâ impetravit. Præter cæteras Academias, quæ in hoc Regno reperiuntur, hoc Zamoiſciana habet peculiare, quod quanta-quanta ſit, tota ſic eſt conformata, ut Nobilitatis Polonæ inſtitutioni ſit accommodatiſſima, ſive diſciplinarum delectu, ſive tradendi via ac ratione. Quis verò iſta omnia melius ordinare potuit, quam Zamoiſcius, qui variarum artium cognitionem exploratam habebat? Dum enim in exteris Academiis verſabatur, Adrianum Turnebum, Dionyſium Lambinum, Jacobum Carpentarium, Petrum à Penna, Viros doctrinâ celeberrimos, familiariſſimos ſibi habuit; Turnebum igitur & Lambinum Duces ſibi elegit in his ſtudiis, quibus animus ad humanitatem informari debet: Carpentarium in Artibus & Philoſophia: Petrum à Penna in Mathematicis ſcientiis ſibi præceptorem ſumſit. Sed ut ad Academiam ejus redeam. In illa Nobilem Juventutem non ſolum præſentia excitavit, ſed etiam voce hortatus, nec voce ſolum, ſed diſputando expertus eſt, cum Philoſophis philoſophicè, cum Mathematicis mathematicè, cum Juriſconſultis de Jurisprudentia conſultiſſimè; idque unico hoc nomine ſe factitare, & dictitabat & declarabat, ut juventus Polona intelligeret, ex quo fonte illa, quæ ſumma omnia in ipſo erant, hauriret: hoc ipſe ſæpenumero prædicabat, ſe, quicunque & quantuscunque eſſet, omnia optimarum artium ſtudiis accepta referre. Doctos ille inprimis beneficiis affecit. Quæ-

Quæſitus aliquando, quare in urbe Zamoiſcia nullos Symphoniacos & Muſicos haberet? reſponſi loco dedit: Academicos Profeſſores ſuos Symphoniacos eſſe; Typographiam verò ſuam eſſe Muſicam.

H. p. 377. Eandem largitionis in Eruditos mentem Zamoiſcio fuiſſe, Legata Studioſis & Civibus relicta conteſtari poſſunt.

H. p. 569. Ad eundem modum Zamoiſcii Cancellarii conſtans Juſtitiæ opinio in omnium pectoribus vivit, omnium lingvis celebratur. Tanta enim erga quoscunque privatos litigantes condolentia, ut Judicia à Regibus ad populum transtulerit. (Burſ. l. c.) Nam cum infeſta vario genere bellorum Reipublicæ tempora eſſent, & Stephanus Rex defendendis finibus Regni ſemper adeſſet, tum Judicia, vel propter multitudinem actionum, vel propter fori, interdum usque ad ultimos fines, in plures annos quandoque remotionem, non modò cum magna difficultate, ſed & magno ſumptu peragebantur; Auctor fuit Zamoiſcius (Neug. L. 1.) Regi, ut potius mallet de Majeſtate & Auctoritate ſua detrahere, quam de commodis civium. Hinc Judiciorum ratio, in Comitiis Varſavienſibus anno 1578. à Stephano Rege habitis, alia inſtituta eſt, quæ Tribunalitia vocantur, ut Reſpublica ex ſuo corpore in ſingulis Palatinatibus, majoribus binos, minoribus verò quibusdam, ſingulos è Nobilitate quotannis ſibi deligeret, qui primum à D. Martini usque ad Paſchatos, Poloniæ Majoris Nobilitati, Petricoviæ; Minoris autem, à Paſchatos usque ad meſſem, Lublini Jus dicerent, ac cauſas Appellationis, ſive ultimæ, ut vocant, Inſtantiæ, judicarent.

Vtique Cancellarius Zamoiſcius laudem eam ſibi vindicabit. Quæcunque enim antea in Actis Publicis (ſeu Cancellaria) pulcherrima illa quidem & maximi momenti, ſed veluti moles quædam & indigeſta per incuriam ſupellex jacuerunt, iſta recenſuit, diſpoſuit, ordinavit; qui labor iſtius non ſolum Reipublicæ bono fuit, ſed ipſi privatim etiam in magnum emolumentum ceſſit.

(In Statut. Regni, an. 1589. Varſav. Conſt. 33. H. p. 959.) Quantis privilegiis & immunitatibus Rex & Reſpublica Zamoiſcium cohoneſtavit, ex ſequentibus patebit. In hoc Regno Bona immobilia, ex Sigismundi I. Conſtitutione anno 1510. facta, Teſtamenti ordinationi minimè ſubjecta ſunt; attamen iſta Lege exemtus

tus Zamoiſcius, uti patet ex Conſtitut. 33. an. 1589. Varſaviæ lata, quæ talis eſt: Zamoiſcio, Cancellario &c. propter egregia ipſius in Rempublicam merita permittitur, & Lege in æternum non abroganda, cavetur, ut liberè juxta voluntatem ſuam de Bonis ſuis mobilibus & immobilibus, Teſtamentum condere & hæredem ſcribere poſſit; quæ ordinatio perpetuis temporibus valebit, nulla præſcriptione obſtante.

ZAMOISCIVS (Thomas.)

Filius Johannis Zamoiſcius, & Cancellarius Regni, DuxqueExercituum, in expeditionibus variis ad Stanislavoviam, Orinium, Kurtkoviam, Szarogrodum, Chocimum, Mævum, contra Batherbeios, Scythas, Turcas, rebelles Coſaccos, ferocientemque Sveciæ Guſtavum nimium felix. Piaſecki p. 574. Starovolſc. Mon. Sarm. p. 636. (Nar. Sig. p. 29 an. 1635.)

ZICHLINIVS (Albertus.)

Inter hos non poſtremum fortitudinis locum Albertum Zichlinium, Regni Vicecancellarium meruiſſe, Hiſtoriæ edocent. Prœlio enim ad Varnam commiſſo fortiter interfuit, poſt à Turcis captivus mirabiliter cum aliis evaſit. O infelix Varnenſe prœlium! in quo una cum Vladislao Poloniæ Rege, tabularium, quod Albertus Zichlinius ſecum aſportarat, periit. (Neug. L. 5. p. 318. H. p. 260. H. p. 679.)

ZOLKIEWIVS (Stanislaus.)

Reliquit Zamoiſcius laudabilem gloriæ ſuæ æmulum Stanislaum Zolkiewium, Cancellarium, cujus heroicas res geſtas liberiori calamo ut deſcribam, omninò tanti Viri merita efflagitant. Primum itaque ſub Zamoiſcio miles honores privatos meruerat; deindè Magiſter Equitum; defuncto Zamoiſcio Generalis Exercituum Dux factus. (Petricius in Hiſt. Rer. in Pol. geſt. p. 68. H. p. 264.) Poſtquam ad Cancellariatum evectus eſſet, nimium usque ad finem vitæ multorum inimicitiis conflictatus eſt, propenſiore tamen Regis, quam civium favore uſus fuit. Livonicis & Moſchoviticis expeditionibus clarus, ubi hoſtilibus armis, captorumque Principum catenis, Baſilii Suiſcii Imperatoris Moſcoviæ, Johannisque & Demetrii fratrum ſuorum, gravem Regi Sigismundo triumphum dedit; nec minor ex eo gloria, quod incurſionibus Coſaccorum ſæpius turbatam

tam pacem mire cum Turca temperavit. Veruntamen postea an. 1620. ad Expeditionem Turcicam nomine Reipublicæ profectus, qui barbarorum vires contundere paratissimus erat, sinistra fata præter spem experiri coactus est. Vbi enim rem deperditam vidit, immemor sui, memor gloriæ, objectans se hostium telis, cecidit. Centurionem levare eum oblato equo voluisse constitit, sed iste districto acinace transverberare equum volens, levi tantum per ætatam ictu vulneratum repulit. Postea, ubi densissimæ hostium manus, contendens, neque ætate, neque corpore par, præcisa etiam vixque cuti adhærente dextrâ, ignorantia nocturna opprimitur. Postero die Zolkiewius, inter promiscuas cadaverum strues repertus, & canitie, præque cæteris augustiori facie agnitus, præbuit victori jugulum. Caput ejus Bizantium asportatum, truncus viduæ Zolciewii è familia Herburtea, lugubri spectaculo transmittitur. Vidua, ubi allatum fuit cadaver, quod per vulnus isti ad Bycinum inflictum cognoverat, cruentum truncum amplexa servabat vestes sangvine respersas. Portatum deinde militum humeris cadaver, monumento urbeque Zolkiew, quam vivus cognomento suo condiderat, sepultum est.

Lauterbach in Chronico Poloniæ, Lipf. 1727. edit. pag. 176. scripsit: Darauf beruft sich Sarnitius bey Herausgebung seiner Annalium und Jahr-Bücher/ welche Er dem Reichs-Rathe nach dem Tode Königs Stephani dediciret/ und bittet/ Sie wolten Ihm doch für seine Arbeit irgend ein Ritter-Gut zur Vergeltung schencken/ als wie Kadlubko und Dlugossus reiche Präbenden und Bischthümer für die ihrigen erlanget hätten. (Sarnit. Epist. præliminari.) Dabey aber/ was diesen letztern (Dlugossum) betrifft/ bekannt ist/ daß Er zwar zu dem Lembergischen Ertz-Bischthum ernennet worden/ aber in dessen Besitz nicht kommen/ sondern darüber verstorben. In so weit ist es auch wohl gültig/ wenn Ihn sehr viel Scribenten/ als Hartknoch in der Preuß. Historie/ præf. ad Lect. Okolski Orb. Pol. Tom. III. fol. 299. Cromer. fol. 423. und insonderheit die Ausländer/ Vossius, Cavius, Freherus, Olearius und andere/ ausdrücklich einen Bischoff nennen. (Joh. Gottl. Krause in Dlugoss. Tom. II. Præf. ad Lect. fol. 5.) daß

daß Er zwar dieses Ertz-Bischthum haben sollen/ wenn Er gelebet hätte/ aber nicht wircklich dazu investiret worden. Dabey es auch noch ungewiß/ ob Dlugossus das Bischthum nicht mehr um anderer Meriten wegen/ als um der Historia willen erlanget hat. Denn Er war nicht allein der Königlichen Kinder lange Zeit Informator gewesen/ sondern auch zu unterschiedenen Gesandtschafften gebraucht worden. Ingleichen hat Er das Schatzmeister- und Untercantzler-Amt verwaltet/ welches schon Verdienste gnug waren zu einem einträglichen Bischthum; davon aber doch in seinem Lebens-Lauff (præmiss. Hist. Polon.) nicht die geringste Meldung geschiehet. Cum igitur in Vita Operi Dlugossiano præmissâ nulla facta sit mentio Procancellariatus administrati, neque Naramowski, neque accuratior Niesiecki, qui speciatim in Catalogo Procancellariorum nectendo fuerunt occupati, inter eos Dlugossum retulerint, & Lauterbachius nullius Scriptoris Polonici auctoritatem allegaverit, nescio utrum ipsi fides sit adhibenda. Numeravit quidem Dlugossum Niesiecki inter Archiepiscopos Lembergenses, sed addidit eum ann. 1480. esse mortuum antè confirmationem Româ impetratam. Inter singularia referimus quoque ea, quæ in Constitutionibus Comitiorum Pacificationis f. 139. leguntur versa: Da Wir nicht nur die merckliche Verwüstung des Bischofftbums von Luceorien/ welches Wir nach Inhalt derer Rechte de Incompatibilibus, oder von denjenigen Aemtern/ welche nicht beysammen seyn können/ dem Kron-Groß-Cantzler Andreæ Zaluski, bey Ubergebung der Kron-Groß-Cantzler-Charge/ anstatt des Plockischen Bischofftbums conferiret haben/ in Erwegung ziehen; sondern auch zugleich die starcken und beständigen Unkosten und Ausgaben/ die dieses Amt/ auf welches Unsere Autorität/ und die Beobachtung aller Privilegien beruhet/ mit sich bringet/ erwegen; als versprechen Wir mit einträchtigem Beyfall aller Stände/ daß Wir Ihn in Ansehung seines geringen Gehalts/ bessern Auskommens wegen/ mit zuerst offen werdenden Abt- und Probsteyen versorgen wollen/ ohne etwas dadurch dem alten Rechte/ sub titulo: De Cancellariis, zu vergeben. fol. 140. Und da der Vicecantzler Unsers Königreichs/ Malachowski, vor die Wohl-

Wohlfahrt des Gemeinen Bestens / mit Verlust seines eigenen Vermögens / unausgesetzt bemühet ist; als declariren Wir / auf Anhalten derer Wohlgebohrnen Land-Deputirten / daß Er der Erste seyn soll / dessen Wir bey denen zuerst offen werdenden Vacanzien eingedenck seyn wollen.

Lit. G. ad §. 25.

AMICA PARÆNESIS, Thomæ Zamoscio, dum Regni Vice-Cancellarius renunciaretur, data.

Scio Ego, magnos & industrios Viros, quos præclaræ virtutes magis quam favor vel aura popularis, summis admovent Magistratibus, non egere alienis monitis, sed per se satis sufficere, & esse perspicaces ad exploranda omnia muneris sui officia: neque tamen ignoro, sæpè eosdem intra modestiæ fines ita animum continere, ut non ægrè admodum ferant, se moneri, præsertim ab iis, qui proximè eodem Magistratu functi, recenti memoria tenent, quibus potissimum ex causis, in tractandis majoris momenti negotiis, soleant minus prævisæ exoriri difficultates, ut interdum etiam vel oculatissimos rerum ministros graviter offendere, & in suspicionem non rectè gesti muneris, venire contingat. Ego jure me id usurpare posse mihi videor, quod ii, qui nuper procellosum emensi pelagus, variisque jactati tempestatibus, interdum ad scopulos leviter allisa navi, eâ tamen salva, portum jam tenent: tales enim sine reprehensione cujusquam, cæteros è portu in altum vela dantes, suo jure non solum monere, sed etiam summo studio iis præcipere debent, & tempestatum rationem, & prædonum & locorum: quod naturæ ipsius ductu iis faveamus, qui eadem pericula ingrediuntur, quibus nos perfuncti sumus, eosque nostro periculo doceri cupiamus, quid cavendum, quid fugiendum, quidve sequendum illis sit; qua arte tumescentes frangendi fluctus, vela ut ventis accommodanda, ut vel eminentes vel

vel cœci scopuli evitandi; quali velificatione, dum minus secundi spirant venti, utendum. Possem & Ego, Te, Thoma Zamoiski, dum delatum Tibi Regio & Senatus judicio, in his Comitiis munus Vicecancellarii cæteri gratulantur, paucis admonere eorum, quæ mihi eundem magistratum gerenti, in considerationem ex usu rerum venerunt. Id ut faciam, & observantia, quâ Te mihi ob heroicas Tuas virtutes colendum venerandumque jam pridem desumpsi, & multò magis amor impellit. Nec tamen à me expectes, ut tanti officii omnes partes complectar, nec enim eæ sunt meæ vires, ut tantùm mihi assumam; & procul dubio ea res longiorem & accuratiorem posceret lucubrationem. Evagandum enim esset per omnes Reipublicæ Recessus, explicandæ publicorum consiliorum rationes, Leges patriæ, mores & instituta Majorum, indaganda; sed Tu hæc omnia vel ex Te petes, vel ex illo omnibus numeris absoluto, rectè & Magistratûs & Reipublicæ gerendæ exemplari, Illustri Joanne Zamoscio, patre Tuo. Ego ea tantum commemorare institui, quæ quotidiani usus sunt, & quæ magis Te ipsum, munus hoc gerentem, quàm Reipublicæ Statum concernunt. Imprimis igitur enitendum Tibi erit, ut Te talem in hoc magistratu exhibeas, qualem Te vota publica jam pridem animis designarunt, salutem publicam plus quam privatam curantem, Regiæ Dignitatis studiosum, ad omnes Respublicæ partes, intentum, imminentia pericula è longinquo indagantem, remedia malis publicis maturè providentem; assidua curâ, ne quid Respublica detrimenti capiat, prospicientem. Hæc quotidiana Tua meditatio sit: Vicecancellarius Regni sum; Respublica, Salus, Dignitas Regis & Patriæ, Custodia Legum, Pax & Tranquillitas publica, curæ meæ commissa est. Ego arbiter & æstimator meritorum ac virtutis optimi cujusque. Per me Regi innotescere debet industria eorum, qui patriæ operam navare & possunt & cupiunt; qui præmiis ornandi? qui magistratibus gerendis idonei? Per me preces omnium Regiis auribus insinuandæ, & quasi ostium liberalitatis aperiendum. Ego calamitate & injuria pressis præsidium; pupillis & viduis patrocinium debeo. A me Rex, qui me in tanti magistratus fasti-

Quid curandum Cancellario et Vicecancellario.

faſtigio collocavit; à me Senatus, cujus concordi ſuffragio locum hunc conſcendi, ſummam rei depoſcit. Me cives, me ſocii intuentur. De me meisque actionibus hoſtes & invidi ſententiam ferunt. Meæ omnes actiones cunctorum cenſuræ obnoxiæ ſunt. Ita expenſis minimis officii Tui momentis, eò omnes Tuos intendes conatus, ut muneris Tui partes impleas. Omnibus quidem, qui Te negotiorum ſuorum cauſa convenire voluerint, domus & porta Tua pateat, ſed præcipue iis, qui aliorum injuriis preſſi, Tuo patrocinio eguerint, quique per Te ſua deſideria ad Regem deferri petierint; quæ juſtané ſint, an verò minus æqua, non tantoperè Tibi expendendum cenſuerim: habeant hoc ſanè miſeri, & ii, qui in publicis & præcipuè bellicis obſequiis, adeſis opibus, nonnunquam minus opportunè ſatisfieri ſibi flagitant, ſolatium, ut non repulſi, ſed in meliorem ſpem erecti, à Te & ab Aulâ recedant. Neque enim mihi eorum probantur mores, qui primo aditu ſpem petentibus præcidunt, & non ſatis meriti uniuscujusque ratione expenſa, ferunt ſententiam, repulſamque, quæ per ſe ſatis gravis eſt, acerbiorem ipſa vultus auſteritate, faciunt. De quo genere multa dici poſſent; ſed Ego haud ignarus eximiæ Humanitatis Tuæ, quâ dum ſingulos complecteris, ſummum omnium amorem hactenus Tibi conciliaſti, parcius de his ad Te. Collega Tuus, Jacobus Zadzik Epiſcopus Culmenſis, nuper Supremus Regni Cancellarius renuntiatus, Vir Clariſſimus, Tibique (quis enim Te, niſi qui ipſe amari indignus ſit, non amet?) ſincero animi affectu conjunctus, eam omnium conſenſu exiſtimationem ſibi peperit, ut nemo illo conciliandarum amicitiarum peritior eſſe cenſeatur, quibus quam multos in toto hoc Regno complectatur, & viciſſim quantoperè ipſi ambiâtur, nemo non videt. Pares quidem ſunt Veſtræ, & ejusdem poteſtatis functiones, ſed ille Judiciis imprimis præeſt, eaque ita moderatur, ut dum præſens in Aula verſatur, omnia Decreta Regia ſub ejus cenſura & nomine prodeant. Ad Eum pertinet, externorum Principum miſſas ad Regem Legationes excipere, reſponſa dare, Legatis Regiis mandata Legationum præſcribere, rationes obitæ Legationis ab eis repoſcere, Conſilia publica in Senatu auſpicari, quæque in Conſilium veniunt, Regio Nomine proponere, Comitiorum apparatum omnem expedire. Hæc illo abſense, omnia quoque ad Te pertinebunt; ſed & illo præſente, ſi aliqua pars hujus oneris, exceptis Judiciis (neque enim ea communicari ſolent) Regiâ voluntate Tibi deferetur, per Te ſuſtinenda erit. Neque Ego metuo, ne quod ſæpè fieri videmus, ex æmulatione aliqua inter Vos, voluntatum diſſociatio oriatur. Scies Tu pro Tua prudentia & animi moderatione, tantum deferre prærogativæ honoris & ætatis majori Collegæ, quantum & mos antiquus expoſcit, & Tua Dignitas patietur: Ille viciſſim, tanquam accuratiſſimus amoris parandi magiſter, & conſtanti ſinceritate ab omni ſimulatione alienus, quique nullo magis detrimento, quam amicorum, quos penè in ſinu fovere ac tanquam auri talenta cuſtodire conſvevit, jactura commoveri ſolet; & qui aliquando magno cuidam Viro querenti, per eum amicos à ſe abduci: Fateor, inquit, id fieri, cum à Te eos facile & temerè deſeri videam; reſponderit. Talem ſe Tibi præſtabit, ut nullum unquam alium deſiderare poſſis tanti magiſtratus ſocium. Et quidem non ita Te Aulæ addiximus, non eo fine togati magiſtratus Dignitate auctum ornatumque voluimus, ut diſcinctum gladio, exarmatum & rude donatum cenſere quisquam poſſet. Sæpius ab Aula recedendum, & arma Tibi tractanda ac bella gerenda erunt, quibus ab ineunte ætate aſſveviſti, quæque ſummâ cum Tua laude, & eorum, quorum ductu res geſta fuit, commendatione geſſiſti. Prædicant omnes, vel in ipſis periculis Tuam animi magnitudinem & periculorum contemptum, dum morte venale Decus, Heroicâ æmulatione ſectaris. Sed & illa non minus præclara; & ut verius dicam, propria Tua laus, quod licet opibus & copiis plerisque par fueris, plures etiam ſuperaveris, ſemper tamen modeſtiæ Tuæ memor, ad parendum magis, quam aliquid plus Tibi arrogandum Te comparaveris, palamque non magis verbis, quam re profeſſus fueris, Te vel Tuo Clienti, ſi eum Rex exercitui præfecerit, pariturum, & ſub ejus ſignis militaturum. Nemo ſanè exiſtimaverit eam vocem humilis aut abjecti animi eſſe. Enimvero magnifica ea profeſſio

fessio est, & militari patriæque amante Viro digna, non multum sibi arrogare, ubi salus publica poscit, submittere fasces magnitudinis suæ, nec æmulatione Gloriæ corrumpere publicam utilitatem; fovere aliorum industriam; pati, ut minores per Virtutem ad præclaras actiones enitantur. Audisti ipse & meritò execratus es, impiam ambitionis vocem, cum nonnemo diceret, Non sic siturum, ut alter militaris gloriæ decus quasi sibi uni debitum, suffureur, ut in consortium famæ rerum præclarè gestarum veniat. Detestabilis est hæc & perniciosa admodum patriæ invidia! Tu ut facis, fovebis beneficentia Tua apta idoneaque & ad præclaros pro Patriâ & Religione conatus suscipiendos nata ingenia; eosque qui de Republica optimè mereri possunt, non solum non deprimes, sed ab ipsa tolles humo, & in theatro rei benè gerendæ collocabis. Hoc Heroes, hoc maximè vel Magnos decet. Hoc dum Tu facis, parem Te iis exhibes, quos ob æquanimitatem utilem Reipublicæ, gratissimam bonis omnibus, mirata & venerata est prisca ætas. Ibis deinceps & Tu pari animi æquitate per hunc virtutis tramitem, ad summum illud gloriæ decus, quod Pater Tuus, Vir verè Magnus, totius Orbis testimonio consecutus fuit. Sed hæc non hujus temporis. Pietas sincera semper Tibi cordi sit; Hæc vel una efficit, ut omnium bonorum consensu, magistratu hoc dignus censereris; hac Tibi universi Status Ecclesiastici, & piorum omnium studia conciliasti. Igitur & dum hunc magistratum geris, omni studio enitendum Tibi censebis, ut piorum & pietatis sis promotor: ut Jura & Immunitates Ecclesiasticæ, quæ Legibus Regni continentur, Tuo patrocinio tutæ sint: ut universus Ordo Spiritualis, quæ prima & præcipua Reipublicæ pars est, salutis & dignitatis suæ assertorem & propugnatorem Te habeat, & Tibi defensorum Jurium Prærogativarumque suarum debeat beneficium. Cave autem, ne in hac re imiteris eos, qui ut populo se venditent, non seriam, sed quodammodo ambiguam suscipiunt Sacri Ordinis defensionem, ac utrique parti se venditant; quasi verò dubitandum veniat, utri parti favendum sit. Nam si rem benè expenderis, Sacrasque illas Majorum nostrorum Leges, ex ipsis pietatis & religionis Christianæ fontibus propagatas, accuratè inspexeris, facilè animadvertes, nunc Delicta Majorum à Nobis lui; & nisi templa refecerimus, Jurisdictionem Sacram Sacro Ordini restituerimus, belli exactionumque militarium Bonis Ecclesiæ adscriptis immunitatem, quæ pridem Legibus nostris indulta est, tribuerimus, Rempublicam nostram violatæ pietatis oppressionis Jurium Ecclesiasticorum argui posse, nec facilè felices belli pacisque tempore successus habituram, & Delicta Majorum luituram, nisi hæc vulnera, quæ Libertatibus Ecclesiasticis illata videmus, legitima satisfactione consolidet; debeat, inquam, inter alios Tibi hunc magistratum gerenti, Ecclesia hoc beneficium, quod Tibi vicissim sacris comprecationibus, & sanctissimis sacrificiis rependat. Magnum hoc erit rerum gerendarum subsidium, Te, dum vel arma tractas, vel publica geris negotia, piorum votis ambiri, ad Tuam intentionem & desiderium preces sacras fundi, sacrificia offerri. In gerendo magistratu præter pari potestate Collegam, alios muneris Tui socios & ministros habes, inprimis in Judiciis, quæ Tibi absente Collegâ exercenda erunt, ad ea jure & instituto Majorum, adhibebis antè alios Regni Referendarios, vel alterum eorum. Ita sanè antea in usu fuit, ut Referendarius accitus ad Judicia à Cancellario, statim veniret, & in hac parte voluntati illius, simul & muneri suo ex præscripto Legum satisfaceret, nec integrum Judicium Assessoriale censeretur, nisi præsente Referendario. In quo quidem Judicio ejus officium est, non solum ut interrogatus dicat sententiam, verum etiam ut ex indiculo, in quo Causæ Judicandorum inscribuntur, eosdem servato ordine, per præconem acciri jubeat, ac denique Decretum, quale Cancellarius ex sententia Consiliariorum, quam tamen, si aliter illi visum fuerit, sequi non tenetur, pronuntiaverit, partibus referat. Judicia quidem Cancellariorum summæ olim potestatis erant; neque enim illi, quemadmodum alii magistratus qui delegata potestate judicant, per citationem compelli possunt, ut sententiæ latæ rationem reddant; ultrò tamen appellanti Regem parti, ob reverentiam Principis, interdum deferunt, nisi vel causa similis judicata fuerit, vel binæ conformes inferiorum

Qui socii sunt laborum, & Ministri Cancellariorum.

riorum ſubſelliorum ſententiæ præceſſerint, vel denique res, de qua lis eſt, minoris pretii & æſtimationis fuerit. De Judiciis pauca hæc innuiſſe ſuffecerit; hoc unum addam: Omnia Referendariorum Reſcripta, quæ nonniſi in cauſis colonorum & glebæ in Bonis Regalibus adſcriptorum; ſub eorum ſubſcriptione emanare debent, cenſuræ Cancellarii aut Vicecancellarii obnoxia eſſe, & in illorum errores juſtâ liturâ animadverti poſſe. Regentem Cancellariæ opto ut talem ſortiaris (quem jure Tuo Tuaque voluntate ſortiri Tibi fas eſt) qui omnes in ſcribendo Tuos ſciat & poſſit levare labores: penes Te ſit cenſura illius ſcriptorum, quæ ut terſa & Latina, nec tamen affectatæ elegantiæ, quam ſcholis delegare ſolemus, ſint, curæ ſemper fuit Majoribus noſtris, paſſimque Cancellaria Polonica apud exteros Principes, jam indè à temporibus Petri Tomicii, quem Cancellariorum normam & quaſi patrem Veteres dicebant, ſatis elegans & erudita cenſebatur. In omnibus quidem Reſcriptis, quæ ſub nomine Regio prodeunt, ne Legibus contraria ſint, ſeriò animadvertendum eſt: In iis autem, quæ ad exteros Principes, ſivè officii cauſa, ſivè in Reipublicæ aut privatorum etiam negotiis ſcribuntur, literis, tum informandis Legationum præſcriptis, Dignitatis Regiæ & Reipublicæ habenda eſt antè omnia ratio. Regens autem Cancellariæ Tuæ vellem ut à Te uno dependeat, à Te promotionem expectet, nec ſine Te aliorum affectet ſuffragia, ſemper ad nutum Tuum paratus exequi quidquid mandaveris, nihil ad ſcribendum Regi offerat, niſi quod Tu antea videris & probaveris; neminem Regi, idque nomine Tuo tantum, commendet, niſi quem Tu commendandum juſſeris; in omni ad Regem acceſſu, reverentiali timore illum perfundi velim, ut qui non ſuo, ſed Tuo jure cum Rege agendi poteſtatem habeat, Tibique uni rationem reddere teneatur. Qua de re non Te ego commonefaciendum putarem, qui omnis elegantiæ, quæ magnum & eruditum Virum decet, affectator es; ſed quia publicam cauſam agimus, hoc quoque intermittendum non cenſui. Quantum in Te erit, enitere, ut omnia quæ Tuo nomine & ex Tua cancellaria prodibunt, gravi & accurato judicio terſa & uſu receptâ elocutione Scri-

Reſcripta Referendariorum cenſura Cancellarii vel Vicecancellarii ſubſunt.

Latinitatis ſtudium in Cancellaria Regia, & qualis?

Scripta, ſive Latina ſive Polonica prodeant: & ut talia ſint, & ſi Regentis id munus ſit, illiusque cenſura ſufficere videatur, Tu tamen ipſe quantum fieri poterit, cenſebis & corriges, exiſtimabisq; etiam in minimis Reſcriptis, Exiſtimationis ac Dignitatis Tuæ cauſam agi. Sigillum Regium, ex priſca cancellariæ diſciplina, nulli unquam ita concredebatur, ut abſente Cancellario eo ſignare poſſet; præſente itaque Te, idque ſolo, & omnes ſignandas Literas, ex indice quotidiè conſcribendo recenſente, Vir ſpectatæ fidei, ceræ Signum Regium imprimat, officio ſuo functus, Sigillum Tibi à Te ſolo ſervandum reſtituat. Nullas autem omninò Literas, niſi à certis Notariis antea ſubſcriptas, ad ſignandum recipiat; tales autem qui ſubſcribant Ipſe deliges, quorum & induſtriæ & fidei tutò Tuam Dignitatem credere poſſis. Velim eos elegantiâ ſcriptionis (nam in omnibus, etiam privatis, quamvis patrii idiomatis Reſcriptis, ejus rationem eſſe habendam, cenſeo) cæteris præſtare, juris patrii notitia non vulgari præditos eſſe, nullo omninò privato commodo à recto judicio & officio abduci: ſed Tu quotidianus eorum cenſor, ſi quem eorum inſcitia labi compereris, admonebis; ſi aliqua fraudis ſuſpicio apparuerit, jure ſubſcribendi privabis; qua in re ſerio & ſevero judicio Te uti volo, ut in unum animadverſio cæteros metu contineat, ſciantque omnes Te, & Officii & Dignitatis Tuæ eſſe curioſum. Tribus id munus, aut ad ſummum quatuor committere ſuffecerit; alii omnino, etiamſi ſibi ſapere videantur, ab ſubſcribendi audacia arceantur. Metricæ Regiæ (uſitatis enim eſt utendum verbis) talem præficies, qui ex præſcripto Legum, Contractuum omnium ſcribendorum plenam notitiam habeat: is quoque fide emineat, eamque Tibi ſacramento obſtringat; Omnia Privilegia, Regiorum Beneficiorum Reſcripta, etiam Mandata majoris momenti ad Acta referat, eaque ſingulari curâ conſervet, & Tu nempe jubebis, ut is qui Regio Sigillo ſignat Literas, nullum omnino Privilegium, niſi Actis Metricæ inſertum, extradat. Judiciali Notario eodem, ſi ſors judicandi Tibi contigerit, uteris, quem Collega Tuus huic negotio adhibet; eſt is ſanè Vir probus & ejus artis peritus, dignus qui Tua benigni-

tate

tate foveatur. Magna quoque pars laboris Tui erit, in ſubſcribendis manu Tua iis Reſcriptis, quæ more inſtitutoq; Majorum ſignata, è Cancellaria Regia prodeunt. Longum eſſet percenſere omnia, neque certis finibus ea continentur, & perſæpè arbitrio Cancellariorum, vel errore Officialium hæc mutantur, ut interdum Regi ad ſubſcribendum ea obtrudantur, quæ à Cancellariis ſubſcribi debuerant; Mandatorum quidem omnium, quibus Magiſtratus Civitatum & oppidorum Regia Decreta exequi jubentur, ſubſcriptione nunquam olim Regia manus fatigabatur. Ex eodem genere cenſeri meritò poſſent Mandata ad Jurisdictionem urgendam exercendamque Juſtitiam pertinentia. Ejus generis & formæ omnia Reſcripta, ne Regi ad ſubſcribendum porrigerentur, & olim ita fiebat, & Ego dum hoc magiſtratu fungerer, ordinaveram. Tu facilius, quod Collegam habeas priſci inſtituti gnarum & Tecum conſentientem, ſtatues hac de re, quod expedire magis utrique Veſtrum viſum fuerit. Tutoris dandi Jus, arbitrio Cancellariorum permiſſum. Magna hic quoque cautelâ utendum eſt: nam plerique, ut pupillum expilent, ut puellam ſuæ poteſtatis factam, venali & conditionali deſponſatione, Bonis paternis & maternis ſpolient, hoc onus ambiunt, ut inter cætera publicæ Injuſtitiæ (quam totius patriæ exitio, vereor ne aliquando expiare cogamur) argumenta, hæc Tutelaris Fraus cenſeri debeat. Additur quidem ſemper clauſula, ut is qui Tutelam petit, ejus geſtæ rationem reddere teneatur; ſed quam multas vias malitia hominum in iniquiſſimorum Legum interpretum audacia reperit, ad omnes juris & æquitatis rationes infringendas, ita ut ſæpè etiam, in quibus jure proximæ cognationis tutela debetur, (quæ clauſula ſemper in Reſcripto Tutoriæ adjicienda eſt) prætextu dati à Rege tutoris, vel potius ejus potentia excludantur. Vix quidem caveri ſatis poteſt, ut hac in re non erretur; illud unum cenſuerim, ut ubi ſuſpicio nimis affectatæ tutelæ apparuerit, aliquis ex eodem Diſtrictu Vir bonus adjungatur; Vitrico & Novercæ (odioſa ſunt hæc & defunctis parentibus & ſuperſtitibus liberis nomina) ne unquam hoc munus demandetur. In civitatibus & oppidis tam Culmenſis quam Ma-

In Tutoribus dandis, quid advertendum.

Mariæburgenſis Juris, Tutorem dat Magiſtratus; qui ſi ſegnior fuerit, jubetur id facere Mandato Regio, interdum & Decreto. Reſcripta quæ vocamus ſublevantia, diverſi generis ſunt: Ea quidem, quæ in cauſis civilibus eduntur, Sublevationis nomen propriè ſibi vendicant; civilem proſcriptionem ob contemptum Decretorum Judicialium, vel Caſtrenſi vel Supremi Regni Tribunalis Decreto factum ſuſpendunt, partique proſcriptæ & condemnatis in Judicio comparendi, & contumaciam ſuam, vel ignorantiâ editarum citationum, vel malè & per errorem obtento proceſſu, excuſandi poteſtatem faciunt. Eadem vis eſt Salvorum Conductuum, quibus ii relevantur, qui ex cauſis in Jure expreſſis, interdum etiam fraude adverſariorum, infamiâ, quæ apud Nos capitalis pœna eſt, Judiciali Decreto notantur. Sed intereſt, an Decreto Comitiali quis infamis pronuncietur; tali enim, niſi ex conſenſu omnium Ordinum in aliis Comitiis, beneficium Salvi Conductus dari non poteſt. Caſtrenſes & Tribunalitiæ infamiæ, cenſuræ Cancellariorum aliqua ex parte ſubſunt; ut ſi quis per fraudem & in Jus legitimè non vocatus, circumventus ſit, beneficio Regii Salvi Conductus comparendi coram Judicio, & illegitime ſe condemnatum fuiſſe, allegandi facultatem habeat: ſed neceſſe eſt, ut merè, & ut vocant, in contumaciam Juris proceſſus obtentus ſit; nam ſi vel per Procuratorem à ſe conſtitutum, vel per ſe in aliquo Juris termino comparuiſſe reus, convictus fuerit, terminus ille rei judicatæ vim habet, nec Sublevatione vel Salvo Conductu ſiſti infringive poteſt. Itaque talia beneficia legitimè convictis amplius concedi non poſſunt, quamvis ultimus Bannitionis vel Infamiæ terminus abſente reo exierit, ſi fortè is in anterioribus Judiciis perſonaliter, vel per Procuratorem comparuerit, ac de Termino conſervato ita ei conſtiterit, ut ejus ignorantiam legitimè opponere non poſſit. Habet quoque Jure victus Jus Querelæ contra Procuratorem, ſi is ſine mandato, &, ut præſumitur, fraude, & cum parte adverſa factâ conſpiratione, tuendum ſibi eum ſuſceperit, & per colluſionem vinci ſe paſſus fuerit, & quamvis vix unquam talis inſimulatio vera eſſe reperiatur, ſubvenitur tamen eo modo

Reſcripta ſublevantia quotuplicia, & quibus concedenda; & quæ in omnibus Reſcriptis diligentia adhibenda?

modo Jure victo, Regii Rescripti Sublevatione, vel in causa criminali Salvo Conductu. Observari tamen vidi, & ipse quoq; secutus sum, ut si in causa cædis Procurator rei scrutinium in Judicio produxerit, illoque lecto reus condemnatus fuerit, perindè sit, ac si per Procuratorem inscriptum comparuerit, beneficiumque Salvi Conductus illi amplius concedi non debeat. Itaque diligenter & accuratè evolvenda exploranda sunt, Munimenta Processuum Juridicorum, indagandumque num aliquid in iis lateat, ne error aliquis subrepat: nam nulla in re sagaciores sunt Judices Supremorum Tribunalium, quam in notandis Cancellariæ Regiæ erroribus, obliti quidquid auctoritatis habent, hinc ad illos derivatum fuisse. Dantur & Salvi Conductus Regiis subditis contra possessores Regiorum fundorum, civibus & oppidanis contra Magistratum, (qua in re peculiare Jus habent Civitates Majores Prussiæ) dantur & in Ducali Prussia Nobilitati, ne Princeps vel ejus Vicaria Potestas facto, sed Jure contra eos procedat. Subditis verò Nobilium & Ecclesiasticorum, tam oppidanis quam glebæ adscriptis, contra dominos ne dentur Salvi Conductus, Legibus vetitum est. Interdum etiam si pars Jure victa satisfactione, & tam rei principalis, quam mulctarum legalium solutione in integrum restitui velit, huic quoque etiamsi vetustior & præscripta Bannitio fuerit, non negandum videtur Sublevationis beneficium; cum veteri jure cautum sit, & quotidiana praxi idem confirmetur, Bona in perlucris obligata præscriptione amitti non posse. Abolitis vel per Decretum, vel facta inter partes compositione, (quæ avthenticè exhibenda & videnda est) Bannitionibus, restituitur in Regnum Regio Rescripto bannitus, similiter & infamis, nisi cædis perpetratæ reus fuerit, & proindè publicæ pœnæ obnoxius, de qua transigere Legibus prohibitum est. Privilegia item faciendi Præconis publici, quem Ministerialem vocamus; ex Cancellaria Regia indiscriminatim dantur, non inserto ejus qui creandus est, nomine, & absque connotatione diei, quo tale Diploma editur. Vsu antiquo id inductum, cum alias nullæ omnino Literæ ex Cancellaria emanare debeant, nisi integris lineis & absque lacunis, in quibus deinceps aliquid inscribi

scribi possit, denique mense, die & anno quo scriptæ sunt adjecto. Ad commoditatem celerioremque cursum eorum, qui vel in privatis Regiis negotiis, vel in publicis mittuntur, institutæ sunt Subvectiones, quas Regia & nonnulla etiam Spiritualium oppida, magno cum onere præstant, ii, qui tali vecturâ utuntur, necesse est, ut exhibeant mandatum Regium Cancellarii aut Vicecancellarii manu subscriptum, quale Te nunquam, nisi jussu Regio concessurum, persvasum mihi est. Vix ad alia, quam quæ commemoravi, Cancellarii manum suam admovent, oculis tamen omnia lustrare debent; ipsas etiam citationes, quamvis ab aliis visas & probatas, Comitiales quoque, ne talis error obrepat, qualem nuper accidisse vidimus, cum Episcopus criminis Vis perpetratæ accusatus, tanquam aliquis è plebe, contra Sacri Ordinis dignitatem & libertatem, dicaci & probrosa dicâ proscinderetur. Scio & alia exempla. Itaque meritò Petrus Tillicius, dum Vicecancellariatum deponeret, gloriatus fuit, nullam unquam etiam citationem signatam fuisse, quam non viderit legeritq;. De me idem confirmare possum, nunquam me redargutum fuisse, quod aliquid Me inscio, Regio Sigillo signatum fuerit; & certè nunquam me puduit mei judicii, nec sedulitatis & diligentiæ pœnituit; semperque in promptu mihi erant rationes, si quis fortè quereretur, (neque enim qui immeritò querantur, desse possunt) quas opponerem, meque jure fecisse, ostenderem. Magnus is labor, sed ut existimatio tuta sit, quæ etiam fidelissimis vix tutò unquam concreditur, enitendum est, ut ei par esse possis. Commissiones ad fines inter Bona tam Nobilium quam Ecclesiasticorum & Regia, regundos; Revisiones, quibus Bonorum ab utrinque Regiorum fines statuuntur; Mandata item, quibus Capitanei ex Lege animadvertere in bannitos jubentur, itemque ad cognoscendas Appellationes, quæ à Magistratu urbis Cracoviensis interponi solent, (quas Rex, nisi Cracoviæ sit præsens, judicare non potest) Deputatio Judicum, hæc & his similia manu alicujus Secretarii aut Notarii subscripta & sigillo Regio signata, è Cancellaria eduntur; sed Commissiones ad regundos fines, ut non nisi interrogato Rege extradantur, usu receptum est.

Commissiones ad fines regundos et similes, quomodo extradendæ.

eſt. Prolixius eſſem, ſi omnia perſequi vellem: puto me tamen magis notiora quæ in uſu ſunt, attigiſſe. Ipſe uſus Tibi reliqua ob oculos ponet, quæ omnia referes ad normam Juris & Legum, non ſolum Noſtrarum, ſed quæ ipſis Pandectis Codicibusque Imperatoriis continentur, & quæ Saxonici, quæ Culmenſis Juris auctores condiderunt. Denique ad ipſos Sacrorum Canonum fontes interdum recurrendum, & ex ipſis ſalutaris Conſilii principiis Conſilia petenda. Id Majores noſtri fecerunt, qui talibus Inſtitutis volumina Legum patriarum conſtare voluerunt. Riſerunt hæc corrupti ævi noſtri tempora, ſed prudentiores intelligunt, prudentiſſimè à Majoribus noſtris publicæ ſaluti proviſum fuiſſe. Illud præterea nec ſine cauſa adjiciendum putavi, præter Senatorium munus, incumbere Cancellariis neceſſitatem quandam tuendæ Majeſtatis Regiæ & eorum Jurium, quæ ad eandem Majeſtatem conſervandam pertinent: ſi quis ea infringere voluerit, publicè & privatim enitendum Tibi cenſeas, ut Regiæ Dignitatis Defenſor ſis & habearis. Bonorum præterea Regiorum Juriumque contra eos, qui perverſa Legum interpretatione ea intervertere nituntur, accuratum Cuſtodem & Defenſorem. Liceat aliis Senatoribus, quanquam nemini id licere exiſtimandum ſit, vel auræ popularis captandæ cauſa, vel certè quia nonnunquam ignorant, quantum Reipublicæ interſit Regiam conſervari Dignitatem, & poſſeſſiones reditusque Regios non diminui, interdum ſententiam ſuam flectere ad favorem privatorum, & levitate judicii labi; Tu in ejusmodi Regiis Cauſis, quæ majoris momenti fuerint, quæque patrocinio magiſtratus Tui defendi debent, publicam ſuſtinebis perſonam, ac paratus meditatusque dices ſententiam. Cujus rei gratia, ſi quid tale vel in Judicium vel in diſceptationem Comitialem adducendum erit, Tu Te ab Jurium Regiorum Defenſore, quem Inſtigatorem appellamus, maturè admoneri curabis, ne ſi incautus talia negotia tractanda ſuſceperis, vel ignorantiæ vel erroris argui poſſis, & ſerò Te pœniteat, quod magnis & præcocibus ingeniis ſæpè accidere videmus, dictæ ſententiæ, cum Cancellariorum dicta, tanquam Oracula quædam excipi, & in utramque partem nota cen-

Cancellarii Regiæ Dignitatis Defenſores eſſe debent.

ſorea ſignari ſoleant. Id verò facies Magnorum Cancellariorum exemplo, quibus curæ fuit, eximiæ cujusdam prudentiæ opinionem tueri, & non ſolùm ea quæ Voluminibus Legum continentur complecti, ſed illa etiam quæ diurno uſu, quem Legum optimum interpretem meritò dicimus, introducta & quaſi per manus ab iis, qui olim hunc magiſtratum geſſerunt, tradita ſunt, conſtanter defendere. Pater Tuus laudator ſemper fuit priſcorum inſtitutorum, quæ diuturno Cancellariæ uſu, dum adhuc juvenis eſſet, hauſerat. Errabimus & Nos, ſi ab iis receſſerimus. Tu ea tueberis, ſemperque exiſtimabis Legibus antiquis virisque Rempublicam Noſtram ſervatum iri. Tueri autem potes præſentem Reipublicæ ſtatum, cum & illuſtri loco natus ſis, & inter multos non ſis inferior opibus, & ſi omnia circumſpexerimus, non admodum invidia prævalente graveris, nihilque in præteritum reprehendendum, multa laudanda habeas. Quodſi Majores reſpexeris, ſi Vetera Zamoiſcianæ Tarnovianæque Familiæ Decora intuitus fueris, magnam Tibi neceſſitatem imponi ſenties, in hoc magiſtratu ſedulò capeſſendæ Reipublicæ. Illa Trophæa & Triumphi, quos Tui paterni maternique ſangvinis Majores, victis Reipublicæ hoſtibus, glorioſe ad æternam poſteritatis memoriam fixerunt, geſſeruntque, Te ad pares pro Patria auſus ſuſcipiendos incitabunt, Tibique addent calcar, ne ulla excuſatione, dum Regis & Patriæ Salus Tuam poſcet opem, Te tuearis, ne privatorum negotiorum moles, ne vel ipſius vitæ diſcrimina, Te avocent à cura & cuſtodia Reipublicæ. Vides quantis Viris debeas ortûs & ſangvinis Tui initia. Patrem habuiſti & Cancellarii & Supremi Exercituum Ducis ſumma cum laude munere functum, nunquam victum, ſemper victorem, ad extremum usque vitæ ſpatium rerum præclarè geſtarum proſperitate fruentem; eundem non magis in Armis quam in Togâ, ad quam natus eſſe videbatur, egregium Civem. Quanta in uno homine notitia Antiquitatis, quantæ Literæ, quanta Legum non magis Patriarum quem Exterarum Scientia? Idem miles acerrimus, Belli Dux prudentiſſimus, Senator graviſſimus, & ad quosvis magiſtratus capeſſendos maximè idoneus. Quid de Tarnovia, quæ

